871
A4d.Yr

Rathé

De Apulei quem scripsit de deo
Socratis libello.

DE APULEI QUEM SCRIPSIT DE DEO SOCRATIS LIBELLO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

SCRIPSIT

Artur
ARTHURUS RATHKE
BEROLINENSIS.

PROMOTIO SOLLEMNIS HABEBITUR
DIE XXVIII. M. SEPTEMBRIS MDCCCCXI.

16

Rettulerunt ad ordinem de hac dissertatione

E. Norden Dr. Prof. publ. ord.

U. de Wilamowitz-Moellendorff Dr. Prof. publ. ord.

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE (OTTO FRANCKE)
TYPOGRAPHUS UNIVERSITATIS, BEROLINENSIS, LINIENSTR. 158.

EDUARDO NORDEN

S.

Digitized by the Internet Archive
in 2016 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign Alternates

https://archive.org/details/deapuleiquemscri00rath

871
Ad. Yr

Praefatio.

Eorum scriptorum, quae Apuleius Madaurensis composuit de philosophia, viri docti novissimis temporibus magis quam antea rationem habuerunt. Non quo illi libelli admiratione sint digni. Non tamen sunt neglegendi, quia apud Apuleium, quem in rebus philosophicis multum effecisse vix putabimus, vestigia aliorum philosophorum facile expectamus. Atque Thaddaeus Sinko nuperrime accuratissimam quaestionem habuit de Apulei libello „De Platone et eius dogmate“ scripto; Albino[1]), philosopho Platonico, quocum Apuleius multis rebus congruit, adhibito luculenter docuit Apulei librum ortum esse ex commentariis, quos composuerat cum scholam Gai, philosophi Academici, audiret[2]); eodem pertinet liber *περὶ ἑρμηνείας* scriptus, cuius quin auctor Apuleius sit ex Sinkonis sententia iniuria dubitaverunt viri docti[3]). Etiam certius quam de illis libris iudicare possumus de libello „De mundo“ composito, qui est in linguam Latinam translatus ex illo *περὶ κόσμου* libro, qui in scriptis Aristotelicis exstat. Relinquuntur igitur „Asclepius“ scriptis Hermeticis[4]) adnumerandus, qui quamquam in corpore Apuleiano traditur, Apuleio abiudicatur quique accuratiore quaestione dignus est, et liber „De deo Socratis“, ad quem disceptandum adhuc nemo fere animum induxit. Ac tamen is libellus propter eas res, quas affert, minime est neglegendus: plenissimam enim daemonum

[1]) Append. Platon. ed. Hermann pag. 8 sqq., ubi is liber ex errore scribarum „Alcinoo“ cuidam attribuitur; cf. Freudenthal, Der Platoniker Albinos u. der falsche Alkinoos. (Hellenist. Studien III, Berlin 1879, 275 sqq.)

[2]) Sinko, de Apulei et Albini doctrinae Platonicae adumbratione, Cracoviae 1905.

[3]) Sinko, l. c. pag. 39 sqq.

[4]) De hoc librorum genere cf. Reitzenstein, Poimandres, Leipzig 1904, et Zielinski, Hermes u. die Hermetik, Arch. f. Rel. W. VIII (1905) 321 sqq.

p 54389

descriptionem continet omnium, quae memoriae traditae sunt[5]), ita ut Augustinus de paganorum doctrina daemonum locutus sequatur illum Apulei libellum[6]). Quamquam igitur liber certe satis memorabilis est, tamen nemo adhuc accurate de eo quaestionem habuit, et viri docti, qui breviter de eo sententiam tulerunt, valde inter se dissentiunt. Apud talem enim auctorem, qualis est Apuleius, quaerendum est, unde res quas profert sapientiae plenas acceperit, praesertim cum ceteros eius de philosophia libros ex alienis fontibus fluxisse intellexerimus. — De libello „De deo Socratis" scripto duae sententiae secum pugnant: Apuleius in libro componendo aut suo ingenio usus est aut alienum auctorem adhibuit. Hanc sententiam plerique viri docti secuti sunt, qui adhuc de Apulei opere iudicaverunt: Kleist de Graeco quodam auctore cogitat, quem Apuleius in usum suum verterit[7]), neque aliud censent Schanz[8]) et Christ; qui etiam certum auctorem repperisse sibi videtur, Plutarchum, cuius librum de genio Socratis scriptum Apuleium imitari putat[9]). Certas autem sententiarum suarum causas nemo ex iis protulit. Nuper etiam Valette, vir doctus Francogallus, sententiam secutus est eorum, qui Apuleium alium auctorem in usum suum convertisse putent[10]).

Sed aliter iudicat R. Heinze, qui in libro, qui „Xenocrates" inscribitur, breviter egit de Apulei libello. Eius enim

---

[5]) Heinze, Xenocrates, Leipzig 1892, pag. 117.

[6]) August. de civ. dei VIII 14 sqq. (pag. 341 sqq. ed. Dombart).

[7]) De L. Apulei libro qui inscribitur de philosophia morali. Diss. Göttingen 1874, pag. 42.

[8]) Lat. Literaturgesch. III[3] pag. 129.

[9]) Gr. Literaturgesch.[4] 687, A. 4. Haec Christii sententia, cuius causas non affert, nullo modo comprobari potest. Nam non solum ea, quae profert Apuleius, nulla consanguinitate conectuntur cum Plutarcho — nisi forte id, quod libri similem in modum inscribuntur, esse consanguinitatis cum Christio consentis — sed interdum auctores inter se quam maxime dissentiunt. Exemplum afferam. Apuleius pag. 30, 14 sqq. se putare dicit ab Socrate speciem daemonis nonnunquam oculis conspectam esse. Contra legimus apud Plutarchum (de gen. Socr. 588 C): *πολλάκις δ' αὐτῷ* (i. e. *Σωκράτει*) *παραγενέσθαι τοὺς μὲν δι' ὄψεως ἐντυχεῖν θείῳ τινὶ λέγοντας ἀλαζόνας ἡγουμένῳ, τοῖς δ' ἀκοῦσαί τινος φωνῆς φάσκουσι προσέχοντι τὸν νοῦν καὶ διαπυνθανομένῳ μετὰ σπουδῆς, ὅθεν ἡμῖν παρίστατο ὑποτοεῖν μήποτε τὸ Σωκράτους δαιμόνιον οὐκ ὄψις, ἀλλὰ φωνῆς τινος αἴσθησις ἢ λόγου νόησις εἴη.*

[10]) Apologie d'Apulée, Paris 1908, pag. 244: „ . . . il est inadmissible, . . . que sa doctrine des démons dérive directement de Platon."

ex sententia Apuleius, qui Platonis de daemonibus doctrinam describere sibi proposuit, neminem sequitur nisi Platonem ipsum; illo adhibito doctrinam suam de daemonibus ipse composuit[11]). Hanc sententiam Apuleius ipse adiuvat, qui se Platonis placita proferre ubique contendat[12]). Tamen hac in re Apuleio fidem habeamus necesse non est: nam auctor idem simulat in suo de Platone libro, ubi non Platonem ipsum, sed Gaium sequitur. Itaque mirum non est neminem Ricardi Heinze sententiam recepisse; tamen hac viri doctissimi sententia effectum esse videtur, ut nemo ad libellum Apulei disceptandum accederet. Qua de causa cum viri docti, qui adhuc de libro egerunt, non consentiant, nos quidem, ut pro viribus nostris poterimus, de hac re iudicare conabimur.

I.

De tribus libelli partibus.

Apuleius libelli sui initium facit a mundi descriptione. Tria sunt genera, ait auctor, animalium rationis participum. Summi sunt di (pag. 6, 6—10, 2), quorum alii sunt oculis, alii solo intellectu concipiendi (6, 9—8, 19). Qui di versantur in aethere omniumque maximus est pater deorum (8, 19—10, 2). In terra autem morantur homines mortales (10, 3—10, 22), atque cum nullus deus misceatur hominibus, inter homines et deos non esset conexus (11, 1—13, 12), nisi extarent in aere *quaedam divinae mediae potestates, quasi interpretes inter homines et deos* (13, 13—15, 12). Haec animalia ob id quoque sunt necessaria, quod sine eis aer incolis careret (15, 12—16, 7). Daemones sunt aeria natura (17, 4—19, 21); eos, non deos ipsos, poetae dicunt de dis ut amatoribus hominum locuti (20, 1—20, 9). Nam di cupiditatibus hominum carent (20, 10—21, 2), daemones autem non sunt inopes libidinum (21, 2—22, 4). Quod inde cognosci potest, quod variis religio-

[11]) Heinze, l. c. pag. 118: „Die Schrift des Apulejus ist ein im ganzen wohlgelungener Versuch, die reine Lehre Platos von den Dämonen darzustellen, und eine Benutzung bestimmter späterer Quellen ist kaum anzunehmen."

[12]) cf. Apul. pag. 6, 1 Thom.; 8, 2; 9, 3 et 13; 10, 4; 11, 10; 13, 10 et 13; 14, 4; 25, 4 et 13; 29, 2.

num observationibus delectantur (22, 4—22, 22). A philosophis autem diversa daemonum genera commemorantur. Daemon enim appellatur animus humanus adhuc in corpore versatus; praeterea ii animi, qui e corpore iam evolaverunt, daemones vocantur (22, 23—24, 16). Sunt autem praeter eos daemones superiores, qui nunquam in corpore humano fuerunt; illorum ex numero singulis hominibus a dis custodes adduntur (24, 17—26, 8). Socrates ipse quoque daemonem quendam habebat, id quod mirum non est, cum etiam prudentissimos viros non semper prudentia sola confidere apud Homerum videamus (26, 9—28, 19). Socratis autem daemonem quamquam *vocem quampiam* fuisse ex Platone accepimus, tamen eum daemonem suum etiam oculis vidisse verisimile est (29, 1—31, 5). Cum vero daemones, ut in Socrate intellegimus, optime philosophando colantur, Socratis exemplum secuti studio philosophiae nos dedamus.

Quisquis Apulei libellum attente legerit, eum admiraturum esse puto argumentum libelli cum inscriptione ita non congruere. Nam longe maxima libelli parte nihil de genio Socratis audimus, id quod expectamus secundum inscriptionem, sed longam de daemonibus dissertationem invenimus, quae pertinet ab initio libri usque ad caput XVI (pag. 26 Thom.). Quomodo id explicemus? Nonne Apuleius de genio Socratis scripturus erat? Dixerit quispiam auctori, priusquam de hac re loqueretur, scribendum fuisse de ceteris daemonibus. Sed cur hanc praefationem multo longiorem reddidit quam dissertationem ipsam? Et qua de causa hoc in prooemio nullo modo rem ipsam, i. e. genium Socratis, respicit? Verum est Apuleium in illa libelli parte nomen Socratis bis commemorare: pag. 23, 3 se tria daemonum genera enumerare dicit, ut ii, qui audiant, *liquidius et plenius de praesagio Socratis deque eius amico numine cognoscant*; tamen quid illud ad genium Socratis cognoscendum nobis usui est? Apuleium haec verba ideo apparet addidisse, quod se longius a re aberrasse ipse sentiebat. Non aliter res se habet altero loco, quo Socratem commemoratum invenimus, pag. 26, 2; ubi Apuleius Socratis mentionem facit, ut tandem ad rem ipsam, ad genium Socratis, transeat.

In tota igitur de daemonibus disputatione Socratem nusquam ita commemoratum videmus, ut necessario cum re ipsa cohaereat. Contra permultas res descriptas invenimus, quas ad deum Socratis recte intellegendum minime pertinere perfacile est

cognitu. Quid enim sibi vult, quod daemones nonnunquam ad deorum honores ascendere, quod quali sint natura effusis verbis accuratissime narratur? Quae omnia in libro de daemonibus scripto apta essent, non in libello de deo Socratis inscripto.

Quo modo autem id explicemus? Num Apulei libellus iniuria *De deo Socratis* inscribitur? Minime; nam non solum libri manu scripti, sed etiam Augustinus[1]) hanc inscriptionem tuetur. Itaque rem aliter explicare non possum nisi ita: illa libelli pars, quae agit de daemonibus, initio ad eum, in quo nunc eum esse videmus, contextum scripta non erat, sed disputationem de daemonibus continebat, quae ad genium Socratis non pertineret. Quae dissertatio qua ratione in hunc locum pervenerit, perfacile intellegitur. Apuleius, priusquam de genio Socratis verba faceret, loqui in animo habebat de ceteris daemonibus; quem ad finem libellum quendam de daemonibus scriptam adhibuit, sed, ut saepe[2]) fit, plura recepit, quam ad suam rem pertinerent. Vix igitur dubitaveris, quin Apuleius in hac libelli parte alium auctorem sequatur.

Aliter res se habet de iis quae sequuntur capitibus (XVII sqq.; pag. 26 sqq.). His Apuleius re vera agit de genio Socratis. Explicat enim, Socrati genio quodam opus fuisse, cum sapientia etiam prudentissimorum virorum non omnibus in rebus sufficiat, quam rem Apuleius Homericis exemplis illustrare conatur. Deinde narrat (c. XIX; pag. 28, 11 sq.) Socratem a daemone suo solum prohibitum, nunquam autem ad gerendum impulsum esse — illud, quod ex Platone novimus[3]). Atque secundum Platonem ea quoque quaestio disceptatur, qua specie daemon Socrati se praebuerit: eum *vocem quampiam* fuisse ex Apuleio audimus[4]). A Platone autem discedit Apuleius, cum Socratem daemonem suum fortasse nonnunquam oculis quoque conspexisse dicat (pag. 30, 14 sqq.).

Cum vero capitibus XVII—XIX re vera de genio Socratis agatur, ea quae sequuntur non arte cum re ipsa cohaerent. Qua

---

[1]) de civ. dei VIII 14.

[2]) cf. id, quod Heinze demonstravit de Plutarchi libello de defectu oraculorum scripto: Xenocrates pag. 81.

[3]) cf. Plat. Apol. 31 D.

[4]) cf. Plat. Phaedr. 242 B et C, ubi Socratem narrantem fingit Plato: „. . . καί τινα φωνὴν ἔδοξα αὐτόθεν ἀκοῦσαι, ἣ με οὐκ ἐᾷ ἀπιέναι, πρὶν ἂν ἀφοσιώσωμαι, ὥς τι ἡμαρτηκότα εἰς τὸ θεῖον.“

parte Apuleius eos, qui audiunt, admonet, ut eodem modo quo Socrates philosophiae studeant (31, 6), nam philosophando optime coli daemones[5]). Hac libelli parte modo diatribarum scripta Apuleius queritur, quod homines corpora curent, animis non consulant, quamquam summis quoque divitiis vera fortuna comparari non possit. Ideo homines suadet, ut Socratis secuti exemplum veram prudentiam adipisci studeant.

Facile intellegimus Apulei librum in tres partes esse dividendum: quarum in prima, quae pertinet usque ad pag. 25, 12, auctor agit de daemonibus; tum vv. 25, 13—26, 8 ad alteram transit partem, qua disputat de genio Socratis, postremum ratione diatribarum adhortatur eos qui vel audiunt vel legunt, ut in studio philosophiae versentur. Quodsi quaerimus, quibus ex fontibus Apuleius hauserit, vix dubium mihi videtur, quin Apuleius in extrema libelli parte utatur suo ingenio. Magis dubito de ea parte, qua de genio Socratis ipso agit. Nam quamquam plurimas earum quas affert rerum apud Platonem inveniri cognovimus, tamen fortasse illud, quod Socrates daemonem suum interdum oculis conspexisset, Apuleius non ipse ad illa Platonica adiecit[6]). Dubium igitur est, utrum Apuleius eo loco Platonem ipsum an alium auctorem adhibuerit, qui ipse Platonem in usum suum converterat. Minime autem in dubio res mihi videtur esse de prima libri parte, qua Apuleius agit de daemonibus. Ubi auctorem ex disputatione quadam de daemonibus scripta hausisse supra comprobare conati sumus; cum Plato de daemonibus non scripserit, alium auctorem adhibitum esse ab Apuleio necesse est putemus.

Hunc auctorem esse Graecum philosophum, ut plerosque viros doctos censere supra vidimus, certis causis demonstrari posse mihi videtur, quamquam ei causae, quam affert Schanz[7]), vix multum ponderis attribuam. Apuleius enim in cap. XIV (pag. 23, 2 Th.) dicit, se *Latine dissertare* velle a philosophis varia daemonum genera perhiberi. Quo dicto auctorem hausisse

---

[5]) cf. pag. 37, 11: *invenias in rationibus multa prodige profusa et in semet nihil, in sui dico daemonis cultum, qui cultus non aliud quam philosophiae sacramentum est.*

[6]) Praesertim cum daemones conspici posse a Pythagoraeis doceri commemoret et Aristotelem auctorem afferat. Unde Apuleium ea scire putemus?

[7]) Röm. Lit. Gesch. III[2] pag. 129.

ex Graeco fonte demonstrari mihi quidem verisimile non videtur. Equidem hac in re cum Rudolfo Helm facere malo, qui Apuleium, priusquam Latine loqueretur, Graecam orationem habuisse censeat[8]). Apuleius igitur, si recta est illius sententia, nihil aliud dicit nisi se id, quod antea Graece disseruerit, nunc Latine expositurum esse. Tamen nonnullae, ut mihi videntur, graviores causae inveniuntur, quas breviter afferam.

a) pag. 16, 9 Olympus pro exemplo alti montis affertur.

b) Ea, quae pag. 22, 8 sqq. commemorantur de religionibus, Graece sapiunt.

c) pag. 7, 10 legimus haec: *tamen neque de luna neque de sole quisquam Graecus aut barbarus facile cunctaverit deos esse:* ita solum hominem Graecum loqui potuisse nemo est quin cognoscat.

d) Apuleium apud auctorem suum Graecum versum invenisse pag. 19, 16 videmus, ubi se Homeri versum in linguam Latinam transferre ipse profitetur.

Quibus de causis dubium mihi minime videtur esse, quin Apuleius Graecum quendam auctorem sequatur. Tamen illius verba Latine exprimere Apuleius satis non habuit, sed passim sui ingenii vestigia inseruit. Nam cum libellum ubique locis ex Latinis poetis excerptis exornat[9]), tum exempla ex rebus Romanis capta affert[10]) et varia geniorum Romanorum genera iis, quae apud auctorem suum invenerat, inserere conatur[11]). Postremo autem totum illud V. caput (pag. 12, 4 sqq.), quod rem ne minime quidem adiuvat, sed solam expectationem auget eorum, qui audiunt, ipse infixit.

Omnes eas quas commemoravi res ab Apuleio ipso adiectas esse inde cognoscimus, quod sensus illis exemptis non mutatur neque quicquam desideratur. Atque accuratius uno loco demonstrare posse mihi videor, quomodo res se habeat. Pag. 19, 15 sqq. Apuleius Homericum versum ex fonte suo haustum Latine exprimit; hoc autem non contentus ultro versum quendam Vergilianum adicit, quo similis atque ab Homero res narratur.

---

[8]) Philologus LIX (1900) pag. 598 sqq.; cf. Apul. pag. 5, 6 Thom.

[9]) cf. pag. 6, 10; 7, 7; 8, 3; 8, 14 sq.; 12, 19; 13, 3; 18, 13 sqq.; 19, 19; 19, 21; 23, 7 sq.

[10]) cf. pag. 14, 15 sqq.; 15, 2 sqq.

[11]) pag. 24, 2 sqq.

Quamquam igitur vel is versus supervacaneus est, tamen Apuleius praeterea Plautinum quendam addit — sed hunc ad eam rem, de qua agit, minime aptum. Eadem ratione, qua illo loco, ubi Apulei stilum dilucide cognoscimus, omnibus locis res ad Romanos pertinentes sunt separandae a ceteris, ut id scriptum, quod sequitur Apuleius, restituamus. Quale id fuerit, ut cognoscamus, Apulei libellum necesse est accuratius conspiciamus.

II.

Res libro allatae unde sint repetendae.

Apuleium sibi persuasisse se Platonis sententias afferre supra commemoravimus: nostrum est quaerere, num re vera res ita se habeat. Sed iam in secundo capite nos offensuros esse censeo. Ubi solem et lunam esse deos eo probatur, quod neque Graeci neque barbari de ea re dubitent (pag. 7, 9). Ex consensu igitur gentium divina esse illa sidera comprobatur. Quod documentum num Academicis vel Platoni est attribuendum? Minime, sed hanc comprobandi rationem a Stoicis esse repetendam nemo est, qui neget[1]); atque maxime in rebus divinis comprobandis Stoici illa argumentatione uti solebant[2]). Praeterea id quoque, quod perpetuis certisque stellarum cursibus tantum momenti additur, Stoicorum fortasse doctrinam nobis in memoriam revocat[3]). Ceterum de stellarum divinitate neque Stoici neque Academici dubitabant, quamquam maxime illi huius sententiae rationem habebant[4]).

Tum audimus praeter stellarum numina esse alios deos, qui oculis conspici non possint, sed sola mente sint concipiendi; quae numina *per varias utilitates in vita agenda* cognosci (pag. 8, 9—19). Eosdem deos a Cicerone quoque allatos videmus, apud quem legimus (de nat. deor. II 23, 60): *multae autem aliae naturae deorum ex magnis beneficiis eorum non sine causa . . . constitutae nominataeque sunt. Quicquid enim magnam utilitatem generi adferret*

[1]) cf. Capelle, Schrift v. d. Welt. N. Jahrbüch. XV (1905) pag. 556 A. 3.

[2]) Cic. de nat. deor. II 4, 12; de div. I 39, 84; I 6, 11. Sext. Emp. adv. phys. I 6.

[3]) Praechter, Hierocles d. Stoiker, Leipzig 1901, pag. 24.

[4]) cf. Zeller, III 1, 316 ([4]325).

humano, id non sine divina bonitate erga homines fieri arbitrabantur. Igitur eo quoque, quod illos deos ex utilitate, quam praebeant hominibus, cognosci dicit, Apuleius cum Stoicis consentit.

Sequitur apud Apuleium de cultu deorum disputatio (8, 20—24). Queritur auctor, quod *turba philosophiae imperitorum .. priva verae rationis*, deos falso veneretur, partim quod in superstitione[5]) sint, partim quod deos prorsus neglegant. Hic rursus sententiam habemus, quae quin sit Stoica vix quisquam dubitet. Multitudo, quae caret *vera ratione* (i. e. *ὁ ὀρθὸς λόγος* Stoicorum), deos recte colere non potest: ergo solus vir sapiens, i. e. vir philosophus, potest. Quam doctrinam esse Stoicam ubique audimus. Apud Ciceronem (de div. II 63, 130) legimus: *Stoici autem tui negant quemquam nisi sapientem divinum esse posse,* et Diogenes Laertius (VII 119) Stoicum esse memoriae tradit *θεοσεβεῖς τοὺς σπουδαίους, ... ὁσίους τε γὰρ εἶναι καὶ δικαίους πρὸς τὸ θεῖον. μόνους ἱερέας τοὺς σοφούς κτα.*[6]) Quodsi solus vir sapiens deos recte colit, ceteros homines (i. e. *τοὺς φαύλους*) non posse consentaneum est. Ita apud Stobaeum ecl. II pag. 68, 8 W. audimus: *ὁμοίως δὲ μηδ' ὁσίους εἶναί φασι τοὺς φαύλους· τὴν γὰρ ὁσιότητα ὑπογράφεσθαι δικαιοσύνην πρὸς θεούς· τοὺς δὲ φαύλους παρεκβαίνειν πολλὰ τῶν πρὸς θεοὺς δικαίων, παρὸ καὶ ἀνοσίους εἶναι καὶ ἀκαθάρους καὶ ἀνάγνους καὶ μιαροὺς καὶ ἀνεορτάστους.* Quin igitur apud Apuleium hoc loco Stoicam sententiam legamus non est dubium.

Contra ea quae sequuntur Academicis attribuere non dubitabimus. Deos in aethere versari audimus; esse aeternos, omnibus rebus absolutos, liberos, nulla re externa indigentes (pag. 9). Etsi nos similes res etiam in Stoicorum libris legere posse nemo negabit[7]), tamen id, quod deos *ab humana contagione procul discretos* (pag. 9, 1) et *a corporis contagione suapte natura remotos* (9, 5) esse legimus, magis Academicam disciplinam sapit.

A dis auctor ad homines transit (pag. 10, 3 sqq.). Hominem esse optimum in terra animal; plerosque autem, cum *verae*[8]) *disciplinae*

---

[5]) Contra superstitionem etiam loquitur Seneca epist. moral. 95, 48.

[6]) cf. praeterea Stob. ecl. II pag. 67, 20 W.; pag. 114, 16 W. Philo de sacrif. Ab. et Cain 111 (vol. I pag. 247, 9 Wendl.); Stoic. vet. frgm. coll. v. Arnim III pag. 157; Zeller III 1, 261 ([4] 257).

[7]) cf. Cic. Tusc. I 51; Sen. N. Q. VII 30, 3.

[8]) Quin Thomas pro inepto illo *velle*, quod traditur, recte coniecerit *verae* dubium non est; cf. Apul. pag. 8, 21.

non studuissent, tam perversos factos esse, ut nullum animal peius esse videatur hominibus. Ita homines *cita morte* finire *querulam vitam*[9]). — Quae doctrina estne Platonica? In Plat. legg. VI pag. 765 E legimus haec: *ἄνθρωπος . . . θειότατον ἡμερώτατόν τε ζῷον φιλεῖ*, et ibid. X 902 B audimus: *θεοσεβέστατον . . . πάντων ζῴων ἄνθρωπος*. Platonis igitur sententiam ab Apuleio prolatam esse nemo contendet, neque magis quam Platonis scholae Academicae est. Quibus autem hanc malam de hominibus opinionem attribuamus? Nihil video nisi aut Aristotelis esse hanc sententiam aut Stoicorum. Aristotelem enim similiter iudicavisse de hominum natura ex politicis eius discimus, ubi legamus (Polit. A c. 2 [pag. 1253 a Bekk.]): *ὥσπερ γὰρ καὶ τελεωθὲν βέλτιστον τῶν ζῴων ὁ ἄνθρωπός ἐστιν, οὕτω καὶ χωρισθὲν νόμου καὶ δίκης χείριστον πάντων· χαλεπωτάτη γὰρ ἀδικία ἔχουσα ὅπλα· ὁ δὲ ἄνθρωπος ὅπλα ἔχων φύεται φρονήσει καὶ ἀρετῇ, οἷς ἐπὶ τἀναντία ἔστι χρῆσθαι μάλιστα· διὸ ἀνοσιώτατον καὶ ἀγριώτατον ἄνευ ἀρετῆς καὶ πρὸς ἀφροδίσια καὶ ἐδωδὴν χείριστον.*

Tamen mihi quidem Apuleius propius ad Stoicos accedere videtur. Eadem enim atque Apuleium ratione audimus Senecam philosophum querentem (de ira III 26, 4 sq.): *omnes inconsulti et improvidi sumus, omnes incerti, queruli, ambitiosi, . . . omnes mali sumus . . . , mali inter malos vivimus.* Cum Seneca congruit Alexander Aphrod. de fat. 28 (pag. 90): *ιῶν δὲ ἀνθρώπων οἱ πλεῖστοι* (*plerique* Apul.) *κακοί, μᾶλλον δὲ ἀγαθὸς μὲν εἷς ἢ δεύτερος ὑπ' αὐτῶν γεγονέναι, ὥσπερ τι παράδοξον ζῷον καὶ παρὰ φύσιν, σπανιώτερα τοῦ Φοίνικος.* Maxime id quoque Stoicum[10]) est, quod Apuleius homines non iam antiquissimis temporibus tales fuisse, sed postea in hanc condicionem venisse dicit (pag. 10, 8—10). Nam apud Senecam audimus (de benef. I 10, 1—3: *eversos mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas et omne nefas labi* (*plerique se . . . omnibus erroribus ac piacularibus depravaverint* Apul. pag. 10, 9) *. . . pronuntiare debebimus malos esse nos, malos fuisse — invitus adiciam — et futuros esse. Erunt homicidae, tyranni, fures, adulteri, raptores, sacrilegi, proditores.*

---

[9]) vv. 15—22 Apuleius ea verba, quae inveniebat apud auctorem suum, legibus artis rhetoricae accommodavit; cf. v. 15 *ratione plaudentes, oratione pollentes*, v. 17: *dissimillimis moribus, similibus erroribus, pervicaci audacia, pertinaci spe* etc.

[10]) cf. Praechter, Hier. d. Stoiker, 39 sq.

Simillimam de hominibus doctrinam legimus in Sallusti prooemiis, quae Stoicorum (Posidonii) sapere doctrinam plurimi consentiunt[11]).

Apuleius autem etiam propius ad locos Stoicos accedit. Legimus enim apud eum homines tam malos esse, ut vix ullum animal deterius esse possit: homines igitur paene deteriores esse bestiarum. Simillima autem scripta videmus apud Philonem Alexandrinum (de somn. II 89): *εἶτ' οὐκ εἰσιν ἄνθρωποί τινες συῶν, φαλαγγίων, ἀσπίδων ἀγριώτεροι καὶ ἐπιβουλότεροι*; et idem invenimus in Apulei personati de Asclepio libri cap. VII (pag. 42, 7 sqq.): *Non omnes intellegentiam veram adepti sunt, sed imaginem temerario impetu nulla vera inspecta ratione* (*incuria verae disciplinae* Apul.) *sequentes decipiuntur, quae in mentibus malitiam parit et transformat optimum animal in naturam fere moresque beluarum.* Quo loco illud quoque Stoicum, quod apud Apuleium, invenimus, imperitiam verae rationis[12]) causam esse malorum morum. Ea igitur opinio, quam affert Apuleius de hominibus, plane est Stoicorum: hominem, optimum animal, malum factum esse, causam eius rei esse imperitiam philosophiae, homines tam malos esse, ut deteriores ceteris animalibus videri possint — haec omnia apud Stoicos reperimus.

Aliter autem de iis esse iudicandum videtur quae sequuntur (pag. 11 Thom.). Ubi Apuleius exponit caelum et terram natura sua discindi magno hiatu. Deos enim cum hominibus non misceri, cum et regione et moribus ab illis longe differant. Deos hominum consuetudine non uti mirum non esse, praesertim cum reges ipsi quoque propter dignitatem suam a ceteris hominibus remoti vivant. Huius Apulei opinionis fundamenta procul dubio sunt Academica; tamen hic quoque vestigia Stoica immixta invenimus. Nam deos ab hominibus longe remotos esse non solum loci sublimitate comprobatur, sed etiam eo, quod homines malis moribus sint; quae causa ad illam Stoicam doctrinam pertinet, quam ab Apuleio de hominibus expositam demonstravimus. Praeterea id, quod scribit Apuleius pag. 11, 16 sqq., nobis in mentem revocat librum *περὶ κόσμου* scriptum[13]). *Quod*

---

[11]) cf. Sallust. de coni. Cat. c. 2; de bell. Iugurth. c.1.

[12]) De hac Stoica sententia cf. v. Arnim, fragm. Stoic. III pag. 164 sqq.

[13]) Res hoc libello allatas maximam in partem ex Posidonio Rhodio esse derivatas demonstravit Cappelle, Schrift v. d. Welt, N. Jahrb. XV (1905) 529 sqq.

quidem (scil. deos *nulla adtrectatione nostra contaminari*) *mirari*, inquit Apuleius, *super diis immortalibus nequaquam congruerit, cum alioquin et inter homines, qui fortunae munere opulenti elatus et usque ad regni nutabilem suggestum et pendulum tribunal evectus est, raro aditu sit longe remotis arbitris in quibusdam dignitatis suae penetralibus degens.* His verbis simillima in libro *περὶ κόσμου* inscripto exstant (pag. 398 a 6 Bekk.): *τοῦτο μὲν γὰρ οὐδὲ ἀνθρώπων ἡγεμόσιν ἁρμόττει, παντὶ καὶ τυχόντι ἐφίσιασθαι ἔργῳ, οἷον στρατιᾶς ἄρχοντι ἢ πόλεως ἢ οἴκου κτλ.* Tum exemplum affertur regis Persarum: *αὐτὸς μὲν γάρ, ὡς λόγος, ἵδρυτο ἐν Σούσοις ἢ Ἐκβατάνοις, παντὶ ἀόρατος.* Utroque loco deum cum rege comparatum videmus[14]); deus non ipse omnibus rebus adest, sed, eodem modo atque reges, ab hominibus remotus est et oculis illorum se abdit[15]). Deus igitur hominibus non consulit[16])? Minime, ait Apuleius: di non *cura rerum humanarum, sed contrectatione sola remoti sunt* (pag. 13, 16 sqq.). Sunt enim daemones, *quaedam divinae mediae potestates*, per quos deus homines adiuvat. Qui, ut Plato in Symposio dicit, oracula administrant et praesagia regunt. Nam ea omnia voluntate et auctoritate deorum, daemonum autem opera fiunt: neque enim dignitatem deorum decet omnibus rebus ipsos interesse.

Haec sententia estne mere Academica? Xenocratem primum plenam de daemonibus doctrinam constituisse Heinze nos docuit[17]); Xenocratem autem ceteri Platonici hac in re sequi solebant. Igitur quaerendum est, num Apulei sententia cum Xenocrate congruat. Atque apud eum unum invenimus, quod a Xenocrate vel ab Academicis repetere non possumus. Pag. 15, 2 sqq. enim audimus deos ideo somniis et miraculis non ipsos interesse, quod maiestatem eorum id dedeceat; immo talibus in rebus daemonum opera uti. At huius rei antea nonne aliam causam legeramus, deos loci sublimitate ab hominibus longius abesse? Hanc causam Academicis esse attribuendam cognovimus; quo autem illud tendit? Reperimus simile quoddam apud Plutarchum (de def. oracul. 417 A): *ἡμεῖς δὲ μήτε μαντείας τινὰς ἀθειάσιους εἶναι*

[14]) cf. Capelle, l. c. pag. 556 A. 6.

[15]) Hunc locum ab Apuleio ex libro *περὶ κόσμου* ipso esse excerptum minime mihi videtur verisimile; Apuleius enim se novisse illum libellum hic nulla re comprobat.

[16]) Hoc interrogatur cp. V.

[17]) Heinze, Xenocrates. Leipzig 1892.

λέγονιας ἢ τελειὰς καὶ ὀργιασμοὺς ἀμελουμένους ὑπὸ θεῶν ἀκούωμεν, μήτ' αὖ πάλιν τὸν θεὸν ἐν τούτοις ἀνασπέφεσθαι καὶ παρεῖναι καὶ συμπραγματεύεσθαι δοξάζωμεν, ἀλλ' οἷς δίκαιόν ἐστι ταῦτα, λειτουργοῖς θεῶν κτα. Hoc quoque loco oraculis interesse deos non decere audimus; tamen caveas ex Plutarcho eam sententiam esse Academicam colligas. Plutarchum enim illo libro Academicas cum Stoicis sententiis miscuisse constat: ex Plutarcho igitur nihil efficere possumus. Apud alios autem eandem sententiam invenimus. Seneca enim philosophus (nat. quaest. II 3 sqq.) exponit: *Nimis illum* (sc. deum) *otiosum et pusillae rei ministrum facis, si aliis somniis, aliis exta disponit. Ista nihilominus divina ope reguntur, sed non a deo pennae avium reguntur nec pecudum viscera sub ipsa securi formantur.* Hic idem videmus atque apud Apuleium: deos, etsi regant voluntate sua oracula, tamen ipsos ea non curare, cum id iis indignum sit. Seneca quin illo libro ex Stoicis pendeat, non est dubium: Stoicis igitur illud ab Apuleio et a Plutarcho allatum debetur. Rem autem re vera ita se habere, ex Cicerone intellegimus, ubi exstat (de div. I 52, 118): *Nam non placet Stoicis singulis iecorum fissis aut avium cantibus interesse deum*; *neque enim deorum est nec dis dignum nec fieri ullo pacto potest.*

Hanc igitur causam cum Stoicam esse ex Ciceronis verbis cognoscamus, dubium non est, quin apud Apuleium Academica cum rebus Stoicis commixta videamus; praesertim cum ea, quae sequuntur, rursus nos ad scholam Stoicam deducant. Audimus pag. 15, 10 sqq. necessario daemones in aere esse, cum sine illis aer animalibus careret. Id argumentum, quod idem invenimus apud nonnullos alios scriptores[18]), Stoicum esse et a Posidonio pendere Heinze coniecit[19]). Praeter cetera id maxime Stoicam disciplinam sapit — id quod Heinze non commemoravit, — quod Apuleius cum Stoicis ignem terrenum ab aethere disiungit, cum aetherem quintum elementum non constituat[20]).

---

[18]) Sext. Emp. adv. phys. I 86; August. de civ. dei VII 6; Philo de gig. 6 sqq.; de plant. 12; de somn. I 135 sq.

[19]) Xenocr. pag. 97; hoc argumentum infra accuratius deliberabimus, cf. pag. 30 sqq.

[20]) cf. Bonhöffer, Eth. d. Epictet, pag. 245; Stob. ecl. I 25, 3 (pag. 213, 15 W. [Doxogr. 467]); Arnim fragm. I 34.

Auctor postquam daemones necessarios esse demonstravit, quales sint deliberat: quae disponendi ratio rursus a Stoicis pendet, ut ex Ciceronis de nat. deor. secundo libro intellegimus; Cicero enim primo deos necessario credi docet, tum agit de natura deorum. Quid quod uterque iisdem fere verbis ad idem transit? Apuleius enim pag. 17, 5 *superest*, inquit, *ut, quae tandem et cuius modi ea* (scil. animalia, i. e. daemones) *sint disseramus.* Apud Ciceronem autem legimus (l. c. 17, 45): *restat, ut, qualis eorum natura sit, consideremus.* Quamquam non solum ars disponendi, sed etiam res ab Apuleio allatae Stoicorum nobis memoriam revocant. Corpora daemonum neque terrena esse audimus, cum terrena deorsum petant, neque flammida (i. e. aetheria), ne calore sursum rapiantur. Haec doctrina, qua ignea natura sua summum, terrena imum petere comprobatur, Stoicorum est[21]). Apud Stobaeum (ecl. I 406 [Doxogr. 459]) hanc Chrysippi sententiam legimus: *οὐ πάντως δὲ σῶμα βάρος ἔχειν, ἀλλ' ἀβαρῆ εἶναι ἀέρα καὶ πῦρ . . . . φύσει γὰρ ἀνώφοιτα ταῦτ' εἶναι.* Quod qui legerit, aerem non minus quam ignem sursum petere putarit; tamen deliberes id, quod Chrysippum in *Φυσικαῖς τέχναις* scripsisse ex Plutarcho audimus (Stoic. repugn. 42, pag. 1053 E.): *μήτε βάρος ἐξ αὐτοῦ μήτε κουφότητα τοῦ ἀέρος ἔχοντος.* Unde aeri neque levitatem neque gravitatem esse cognoscimus: aer igitur inter terram et caelum pendet. Idem autem Apuleius censet, cum aerem esse *media natura* (17, 9) dicit. Hanc *mediam naturam* daemonum corporibus esse attribuendam, ita ut regio ingenio incolarum respondeat (17, 10). Quae res item plane est Stoica: Stoici enim ex regione ingenium incolarum colligere solebant. Quam argumentationem apud Ciceronem invenimus, ubi legimus haec (de nat. deor. II 16, 42): *Sidera autem aetherium locum obtinent; qui quoniam tenuissimus est et semper agitatur et viget, necesse est, quod animal in eo gignatur, id et sensu acerrimo et mobilitate celerrima esse.* Ubi, quod ex loci qualitate natura incolarum colligitur, idem atque apud Apuleium videmus.

Daemonum igitur corpora aeria sunt; quod ut explicet Apuleius, qualitatem daemonum cum nubibus comparat et nubes pulcherrime describit. Sed daemonum natura multo subtilior

[21]) Zeller III 1, 184 ([4] 187): cf. Aet. Plac. I 12, 4; Stob. ecl. I 14, 1 (pag. 142 W. [Doxogr. 311]).

est quam nubium: nam cum nubes *ex umida caligine*[22]) aeris consistant, daemonum corpora ex *purissimo aeris elemento* (pag. 19, 3) ficta sunt[23]). Qua de causa ab hominibus conspici non possunt (19, 3 sqq.): *quod nulla in illis terrena soliditas locum luminis occuparit, qua soliditate necessario offensa* (i. e. *πληγείς*) *acies immoretur, sed fila corporum possident rara et splendida et tenuia usque adeo, ut radios omnis nostri tuoris et raritate transmittant et splendore reverberent et sublimitate frustrentur.* Haec de videndo sententia Stoicorum est[24]); Apulei verba paene consentiunt cum iis, quae affert Seneca de eadem re (nat. quaest. VII 30, 4): *multa praeterea cognata numina summo et vicinam sortita potentiam* (i. e. daemones, quam vocem commemorare Seneca veretur[25]) *obscura sunt aut fortasse, quod magis mireris, oculos nostros et implent et effugiunt, sive illis tanta subtilitas est, quantam consequi acies humana non possit etc.* Ceterum eos Stoicos, qui esse daemones credebant, daemonibus aeriam naturam attribuisse alio modo comprobari potest. Legimus enim loco quodam Varroniano, qui ab Augustino traditur (de civ. dei VII 6): *dicit ergo idem Varro . . . deum se arbitrari esse animam mundi . . . . adiungit mundum dividi in duas partes, caelum et terram; et caelum bifariam, in aethera et aera; terram vero in aquam et humum; e quibus summum esse aethera, secundum aera, tertiam aquam, infimam terram; quas omnes partes quattuor animarum esse plenas, in aethere et aere immortalium, in terra et aqua mortalium. Ab summo autem circuitu caeli ad circulum lunae aetherias animas esse astra ac stellas; eos caelestes deos non modo intellegi posse, sed etiam videri; inter lunae vero gyrum et nimborum ac ventorum cacumina aerias esse animas, sed eas animo, non oculis videri et vocari heroas et lares et genios.* Haec, quae Augustinus ex Varronis opere excerpsit, simillima sunt Apuleio. Eodem enim atque apud Apuleium modo audimus omnia elementa animalium esse plena; praeterea aerem *inter lunae gyrum et nimborum ac ventorum cacumina* pertinere non minus cum Apuleio

---

[22]) Secundum Stoicos aeri obscuritatem et caliginem attribui docet Seneca nat. quaest. II 10, 1: *aer frigidus per se et obscurus.* Philo de opif. m. 29 Wendl.

[23]) Stoicos diversa aeris genera inter se disiunxisse ex Senecae libris cognoscimus; nat. quaest. II 10; cf. Zeller III 1⁴, pag. 187.

[24]) Delibera, quod Apuleius *πληγῇ* nos videre dicit; cf. Diog. Laert. VII 1, 157; Phil. leg. alleg. III 183; Plut. de gen. Socr. 588 E.

[25]) cf. Sen. ep. mor. 110, 1.

congruit, qui dicat (pag. 16, 13 sq.) *aeris agmen immensum usque ad citimam lunae helicem* situm esse, *quae porro aetheris sursum versus exordium* sit. Atque Varronem Stoicos sequi constat; quod et re ipsa manifestum est et ex Augustini excerpto quamvis brevi demonstrari potest. Nam id, quod nullum elementum carere incolis suis Varro dicit, in memoriam nobis revocat illud Stoicorum argumentum, quod supra commemoravimus[26]), et aerem usque ad lunam pertinere Posidonii est sententia[27]). In Varronis igitur loco et alia reperimus, quae nos Apulei verba iure ex Stoicis repetere comprobant, et Stoicos (i. e. Posidonium) docuisse videmus daemones esse aeria natura, id quod apud Apuleium legimus.

Tum in cap. XII (pag. 20 Thom.) comperimus non deos, ut poetae fingant, homines odisse vel amare sed daemones. Auctor igitur Apulei in fabulis poetarum, i. e. maxime Homeri, daemones loco deorum substituit. Heinze coniecit[28]) hanc rem Xenocrati esse attribuendam, id quod ex Plut. de Is. et Os. 495 E collegit; Stoicos enim has res ut futtiles fabulas[29]) repudiasse. Huic sententiae obsistere non audeo; tamen nescio an nonnunquam Stoici ipsi quoque talia docuerint, praesertim cum Plutarchum illo loco Chrysippo, i. e. Stoicis, eandem sententiam attribuere videamus[30]). Certe autem ea quam affert Apuleius huius rei causa a Stoicis pendet. Nam pag. 20, 9 audimus deos semper *eodem statu mentis* uti, nunquam laetari vel dolere, nullo modo ab eo, quod inceperint, ad aliud quicquam deverti; nam deum esse perfectum: neminem autem perfectum esse, qui ex alio statu in alium eumque meliorem transeat quemque prioris paeniteat. Itaque oportere deum omnibus animi commotionibus carere. Quo loco Apuleium disserentem videmus *περὶ τῆς ἀμεια-*

---

[26]) cf. supra pag. 17; Heinze l. c. pag. 97.

[27]) cf. Philo de somn. I 134 Wendl., pag. 641 M. Plut. de gen. Socr. 591 C (ex Timarchi narratione, quae Posidonio debetur: Heinze l. c. pag. 131; Bock, Unters. z. Plut. Schrift etc., Münch. Diss. 1910, pag. 41). Plut. de fac. lunae 943 C.

[28]) l. c. pag. 82.

[29]) cf. Cic. de nat. deor. II 28, 70.

[30]) Plut. de Is. et Os. l. c.: *Βέλτιον οὖν οἱ τὰ . . . ἱστορούμενα μήτε θεῶν παθήματα μητ' ἀνθρώπων, ἀλλὰ δαιμόνων μεγάλων εἶναι νομίζοντες, οὓς καὶ Πλάτων καὶ Πυθαγόρας καὶ Ξενοκράτης καὶ Χρύσιππος . . . λέγουσι.* Cf. ceterum Heinze l. c. pag. 116.

πιωσίας καὶ βεβαιότητος, ut his verbis utar, deorum. Quo cognito quorum philosophorum legamus sententiam non dubitabimus[31]). Apud Stobaeum enim (I 63, 8 sqq.) hoc Stoicum legimus: *μία γάρ τις ἦν τῶν ἀρετῶν καὶ ἡ ἀμεταπτωσία καὶ βεβαιότης, ἣν εἰκὸς οὐχ ἥκιστα κἂν θεοῖς εἶναι.* Deum esse *ἄτρεπτον καὶ ἀμετάβλητον*[32]) Stoici docebant; *μένει γὰρ ἐφ' ὧν ἐξ ἀρχῆς ἐβουλεύσατο οὐδὲν αὐτῶν μετατιθείς*[33]) neque unquam mobilis est in consiliis capiendis[34]). Quae omnia Stoica cum Apuleio accuratissime congruunt; proxime autem ad eum rursus accedit Seneca, apud quem legimus (de benef. 23, 1): *Adice nunc, quod non externa cogunt deos (nec alterius vi* Apul. pag. 20, 14), *sed sua illis in lege aeterna voluntas est. Statuerunt, quae non mutarent, . . . nec umquam primi consilii deos paenitet. Sine dubio stare illis et desciscere in contrarium non licet, sed non ob aliud, quam quia vis sua illos in proposito tenet.* Similitudo, quae est inter Apuleium et Senecam, tanta est, ut non haereremus, si illo Apulei loco verba Senecae legeremus. Eo minus autem dubitabimus, quin Apuleius vestigia Stoicorum premat.

Postquam deos omni animi motu carere Apuleius docuit, rem apud daemones aliter se habere audimus: daemones *ἐμπαθεῖς* sunt, qua re cum hominibus coniunguntur. Nunc satis perspicue de Apulei daemonibus iudicare possumus: daemones sunt *genere animalia, ingenio rationabilia, animo passiva, corpore aerea, tempore aeterna* (pag. 21, 12 sq.). Quod ad has qualitates attinet, id certe cum Xenocratis doctrina non congruit, quod daemones immortales vocantur[35]). Fortasse iure hic quoque sententiam Stoicam invenimus: apud Varronem enim, qui ex Stoicis pendere audivimus, daemones esse immortales legimus[36]). Ceterum doctrinam de daemonibus ipsam ab Apuleio allatam Stoicis vestigiis non carere aliis quoque de causis credo. Xenocratem docuisse constat esse malos daemones, qui hominibus incommoda afferrent

[31]) cf. Praechter, Hierocl. d. St., Leipzig 1901, pag. 27.

[32]) Phil. de Cherub. 90, pag. 155 M; de Abrah. 202; de post. Caini 28; de Cher. 19; de mut. nom. 24, pag. 582 M; ibid. 46, pag. 585 M; de somn. II 221, pag. 688 M.

[33]) Phil. quod deus s. immut. 26, pag. 296 M; cf. de somn. II 237, pag. 690 M.

[34]) cf. Phil. quod deus s. immut. 22 sq., 296 M, ubi more Stoicorum sapientibus eaedem atque deo virtutes adduntur; de incorrupt. mundi 500 M.

[35]) cf. Heinze l. c. pag. 110; Plut. de def. orac. 418 E.

[36]) August. de civ. dei VII 6; cf. supra pag. 19.

quique sacrificiis permulcerentur. Quamquam autem sacrificia daemonibus deberi apud Apuleium legimus (pag. 22, 6 sqq.), daemones omnibus hominibus nocere non contendit Apuleius. Sed ex eius sententia exstant daemones, qui solis malis hominibus noceant, bonis autem sint *inane terriculamentum* (pag. 24, 7). Quae sententia, ut a Xenocratis diversa est, ita cum ea consentit, quam Stoicam esse Plutarchus nos docet (Aet. Rom. pag. 277): . . . *καθάπερ οἱ περὶ Χρύσιππον οἴονται φιλόσοφοι φαῦλα δαιμόνια περινοσιεῖν, οἷς οἱ θεοὶ δημίοις χρῶνται κολασταῖς ἐπὶ τοὺς ἀνοσίους καὶ ἀδίκους ἀνθρώπους.* Secundum Stoicos igitur daemones solis malis hominibus nocent, bonis non sunt timori[37]): idem est, quod apud Apuleium legimus.

Sequitur apud Apuleium id, quod Xenocratis esse constat[38]), omnia sacrificia et religionum diversas observationes non dis, sed daemonibus praeberi (pag. 22, 4 sqq.) Ea tamen sententia ab Apuleio in alium sensum vertitur: nam cum apud Xenocratem sacrificiis animos daemonum permulcere conentur homines, Apuleius, cum apud eum daemones eodem atque apud Xenocratem modo mali non exstent, sacrificia ob id solum commemorat, ut daemones liberos a passionibus non esse demonstret. Finem daemones describendi facit Apuleius, cum tria diversa daemonum genera enumerat (pag. 23 sqq.); quem locum cum infra (pag. 34 sqq.) accuratius deliberaturus sim, nunc satis habeo commemorare te talem daemonum enumerationem in Academicorum libris frustra quaesiturum esse.

Quoniam usque ad finem eius partis, quae agit de daemonibus, pervenimus, breviter respiciamus ad id, quod effecisse nobis videmur. Eum auctorem, quem Apuleius sequitur, sententias Academicas cum Stoicis quam maxime miscuisse intellexi-mus. Disciplinae enim Stoicae ea erant accommodata, quae exposuerat Apuleius de cultu deorum (pag. 8, 20 sqq.), et illa de hominum moribus dicta (pag. 10, 8 sqq.); praeterea documentum quo daemones aerem habitare demonstratur (pag. 15, 8 sqq.). Accedit longa de daemonum qualitate disputatio (pag. 17, 4—19, 10) et ille locus, quo *περὶ βεβαιότητος* deorum agitur (pag. 20, 9 sqq.). Praeter haec Stoica satis lata ubique breviores sen-

---

[37]) cf. similem Philonis sententiam de gigant. 16 sqq. Wendl., pag. 264 M.

[38]) Heinze l. c. pag. 94.

tentias Stoicas invenimus dispersas: documentum illud de siderum divinitate (pag. 7, 9 sqq.); deos *per varias utilitates in vita agenda* cognosci (pag. 8, 17 sqq.); cur di non ipsi oraculis somniisque intersint (pag. 15, 2 sqq.); quin etiam doctrina de daemonibus ipsa cum Stoicorum disciplina congruere videbatur: daemones enim immortales esse et extare malos, qui solis malis hominibus nocerent, audivimus.

Ut igitur Apuleium se his in rebus sequi Platonem inique contendere intellegimus, ita alia re vera ex Academicorum sententia esse exposita necesse est concedamus. Huc pertinet id, quod deos solo in caelo versari et ab hominibus magno hiatu discerni didicimus (pag. 9, 1 sqq.); deum non sua manu, sed per daemones consulere hominibus (pag. 13, 18 sqq.); daemones, non deos ipsos odi vel amare homines (pag. 20, 1 sqq.) et daemonibus praeberi sacrificia (pag. 22, 4 sqq.). Quae cum ita sint, quid cogitemus de Apulei auctore? Utrum est Stoicus quidam philosophus, qui ad Academicam disciplinam propius accessit, an Academicus, qui Stoicos sequitur? Qua de re priusquam iudicemus, tres locos conspiciamus, quae aliquanti momenti mihi videntur esse.

III.

De tribus locis Posidonianis.

§ 1: De natura deorum.

Apuleius, ut supra commemoravimus, in initio libelli diversa esse deorum genera explicat: alios oculis conspici posse, alios solo intellectu esse concipiendos. Illos esse sidera; quorum in numero solem et lunam esse, quae sidera quin sint dis adnumeranda, neque Graecum neque barbarum dubitare; praeterea autem quinque stellas errantes esse divinas. Quas stellas falso errantes vocari, nam non modo non errare, sed etiam certissimo ordine moveri. Cursum enim earum solum per speciem variare, re vera autem eas semper eadem celeritate easdem vias carpere: eos autem motus, quos nos conspiciamus, diverso sphaerarum situ effici (pag. 7, 17 sq.). Quae quid hoc loco sibi velint, non difficile est cognitu. Cum Apuleius planetas eodem modo atque solem

lunamque esse deos contendat, hic locus est interpretandus ita: si ideo, quod planetae vagi esse videntur, de eorum divinitate dubitas, erras; nam illorum motus re vera non sunt fortuiti, sed omnium ordinatissimi. Auctor igitur planetas esse deos comprobare studet.

Tum deos enumerare pergit. Numero eorum, quos oculis conspicimus, deorum ceterae quoque stellae sunt attribuendae; reliqui autem di, quos Olympicos vocamus, solo intellectu sunt concipiendi; quorum numina ex utilitate cognoscimus, quam hominibus praebent (pag. 8, 17 sqq.). Deinde omnes deos a multitudine hominum philosophiae imperitorum partim superstitione vexari, partim prorsus neglegi audimus, et postquam Apuleius quales essent di breviter exposuit, ad homines transit (pag. 10, 3).

Quid est, quod legimus eo loco, quem modo deliberavimus? Vix quemquam recusaturum esse puto, quin hanc libelli partem inscribat „de natura deorum“ — illa inscriptione, quam ex Cicerone novimus. Atque Ciceronis librum nunc breviter mecum conspicias.

Secundo de natura deorum libro Cicero, postquam deos exstare demonstravit, quali natura sint nos docet (de nat. deorum 17, 45). Quam ad rem nonnulla praefatus de diversis deorum generibus disputat: primo agit de sole (19, 49), deinde de luna (19, 50), tum de stellis errantibus (20, 51), postremo de ceteris stellis (21, 54). Ita omnibus, quos oculis videmus, dis enumeratis ad eos transit, quos conspicere non possumus (23, 60).

Nonne mirum est, quod Cicero eas quas affert res eodem modo atque Apuleius disposuit? Nam Apuleius ipse quoque, ut supra intelleximus, primo egerat de dis, quos oculis, tum de iis, quos oculis non conspicimus; Apuleius item atque Cicero de illis locutus primum solem, tum lunam, deinde planetas, postremo stellas inerrantes commemoraverat: aliquid igitur admiratione dignum restat, quamquam illam rerum dispositionem auctoribus re ipsa esse praebitam fortasse dicemus.

Sed comparare pergamus. Supra vidimus divinitatem planetarum ab Apuleio inde demonstrari, quod non errent, sed semper iisdem cursibus utantur! Quis autem est, quin miretur idem documentum eiusdem rei a Cicerone afferri? Auctor enim

de nat. deor. 20, 51 exponit motus earum stellarum admiratione maxime esse dignos, quae falso errantes appellentur; nihil enim errare, quod in aeternitate eosdem conservare motus. Eodem igitur atque apud Apuleium loco eandem argumentationem invenimus apud Ciceronem. Quod quo modo explicemus? Num id quoque casu factum esse censeamus, quod Cicero planetas dis esse adnumerandos eodem modo explicat atque Apuleius? Equidem dubitaverim.

Sed nondum finem faciamus comparandi. Apuleius, postquam deos enumeravit, pag. 8, 20 sqq. loquitur de cultu deorum: deos ab hominibus philosophiae imperitis partim superstitione, partim omnino non coli audimus[1]). Quid quod apud Ciceronem eodem loco simillimum quoddam invenimus? Cicero enim diversis deorum generibus enumeratis cap. 28, 71 agit de cultu deorum. Discernit voces superstitionis et religionis et non solum philosophos, sed etiam maiores has voces inter se distinxisse explicat. Quam inter auctores disponendi congruentiam rursus casu vel ex re ipsa effectam esse dicamus? Haec explicandi ratio, quam ne supra quidem verisimilem esse dixeramus, hoc loco adhiberi omnino non potest; nam utrumque auctorem post deorum enumerationem agere de eorum cultu necesse non erat.

Tamen non solum arte disponendi, sed etiam singulis rebus Apuleius cum Cicerone congruit. Apuleius de luna locutus lumen eius eo clarius reddi commemorat, quo longius a sole absit[2]); idem apud Ciceronem legimus (c. 19, 50): *luna, . . . cuius tenuissimum lumen facit proximus accessus ad solem, digressus autem longissimus quisque plenissimum.* Fortasse mihi obicies hanc auctorum congruentiam nulli ponderis esse, cum lunam illo modo se habere quisquis oculis utatur videre possit[3]); tamen permirum esse contendo utrumque auctorem, quamvis breviter de luna loquatur, illius ipsius rei mentionem facere. Hoc loco mihi repetere liceat id, quod ad alium finem iam supra attuli[4]). Deos enim, qui oculis nostris latent, *per varias utilitates in vita agenda* cognosci Apuleius dicit (pag. 8, 18); apud Ciceronem autem illos deos

[1]) Apuleium hac de re Stoicum in modum agere vel supra demonstravimus (pag. 13 sq.).

[2]) pag. 6, 15 sq.: (luna) *quanto longius facessat a sole, tanto largius conlustrata.*

[3]) Idem animadversum invenimus Plut. de coniug. praec. pag. 139 C Xyl.

[4]) cf. supra pag. 12 sq.

ex magnis beneficiis eorum intellegi legimus; *quicquid enim magnam utilitatem generi adferret humano, id non sine divina bonitate erga homines fieri arbitrabantur.*

Ubique igitur Apuleium cum Cicerone magnopere congruere videmus. Quo cognito redeamus ad illud de siderum divinitate documentum, quod Apuleium non minus quam Ciceronem adhibere supra demonstravimus. Auctorum verba inter se comparemus.

Apul. de deo Socr. pag. 7, 9 sqq.:

tamen neque de luna neque de sole quisquam Graecus aut barbarus facile cunctaverit deos esse, nec modo istos, quos dixi, verum etiam quinque stellas, quae vulgo vagae ab imperitis nuncupantur. Quae tamen indeflexo et certo et stato cursu meatus longe ordinatissimos divis vicibus aeterno efficiunt. Varia quippe curriculi sui specie, sed una semper et aequabili pernicitate tunc progressus, tunc vero regressus mirabili vicissitudine adsimulant.

Cic. de nat. deor. II 20, 51:

maxume vero sunt admirabiles motus earum quinque stellarum, quae falso vocantur errantes. Nihil enim errat, quod in omni aeternitate conservat progressus et regressus reliquosque motus constantis et ratos. Quod eo est admirabilius in his stellis, quas dicimus, quia tum occultantur, tum rursus aperiuntur, tum adeunt. . .

Nemo est quin cognoscat utrumque scriptorem hoc loco mirum in modum inter se congruere. Planetas falso ita vocari uterque iisdem fere verbis dicit (*quae vulgo vagae ab imperitis nuncupantur* Apul., *quae falso vocantur errantes* Cic.); eos non errare, sed in aeternitate (*aeterno* Apul. *in omni aeternitate* Cic.) eosdem cursus facere (*motus constantes et ratos* Cic., *indeflexo et certo et stato cursu* Apul.). Tum uterque *progressus et regressus* planetarum commemorat et de illorum agit motionibus, quae oculis concipiantur; quam rem cum Cicero longius explicet, Apuleius breviter absolvit (*varia quippe curriculi sui specie*).

Iam restat, ut omnes quibus Apuleium cum Cicerone congruere cognovimus locos colligamus. Quem ad finem auctorum disputationes totas inter se comparare mihi liceat.

Apul. de deo Socr. pag. 6, 12 sqq.:

A. de dis

a) de sideribus (6, 9—8, 8)

1. de sole (pag. 6, 13)
2. de luna (6, 13—7, 8)

. . . quanto longius facessat a sole, tanto largius conlustrata (6, 15 sq.).

3. de stellis errantibus (pag. 7, 11—18)

. . . verum etiam quinque stellas, quae vulgo vagae ab imperitis nuncupantur, quae tamen indeflexo et certo et stato cursu meatus longe ordinatissimos divinis vicibus aeterno efficiunt etc. (cf. pag. 26).

4. de ceteris stellis (pag. 8, 1—8)

in eodem visibilium deorum numero cetera quoque sidera . . . locato (pag. 8, 1 sqq. Th.).

b) de ceteris dis (pag. 8, 9—19 Th.)

est aliud deorum genus, quod natura visibus nostris denegavit (pag. 8, 9 sq. Th.).

. . . potentiae vero animis coniectatae per varias utilitates in vita agenda animadversas . . . . (pag. 8, 17 sq. Th.).

Cic. de nat. deor. II 19, 49 sqq.:

A. de dis

a) de sideribus (c. 19, 49—21, 57)

1. de sole (c. 19, 49)
2. de luna (c. 19, 50)

. . . cuius tenuissimum lumen facit proximus accessus ad solem, digressus autem longissimus quisque plenissimum (§ 50).

3. de stellis errantibus (c. 20, 51—53)

. . . maxume vero sunt admirabiles motus earum quippe stellarum, quae falso vocantur errantes; nihil enim errat, quod in omni aeternitate conservat progressus et regressus reliquosque motus constantis et ratos etc.

4. de ceteris stellis (c. 21, 54—55)

Nec vero eae stellae, quae inerrantes vocantur, non significant eandem mentem atque prudentiam . . . (§ 54).

b) de ceteris dis (c. 23, 60 sqq.)

multae autem aliae naturae deorum . . . constitutae nominataeque sunt (§ 60).

. . . ex magnis beneficiis eorum constitutae sunt. Quicquid enim magnam utilitatem generi adferret humano, . . . fieri arbitrabantur (§ 60).

B. de cultu deorum
(pag. 8, 20—24 Th.)

Apuleius Stoicam de cultu deorum sententiam affert.

B. de cultu deorum
(c. 28, 71—72)

Cicero agit de superstitione et religione.

Congruentiam auctorum admirabilem esse nemo negabit; quomodo autem explicemus? Eam casu effectam esse non posse comprobavisse mihi videor. An fortasse Apuleius Ciceronis de natura deorum librum adhibuit? Hoc contendi non potest, cum Apuleium sequi Graecum auctorem supra cognoverimus (cf. supra pag. 10 sq.). Nihil igitur relinquitur nisi ut utrumque scriptorem ex eodem fonte haurire dicamus. Atque quem auctorem sequatur Cicero iamdudum constat[5]); Posidonius est, ille Stoicus philosophus, cuius librum *περὶ θεῶν* scriptum in usum suum convertit Cicero. Itaque apud Apuleium ipsum quoque nos legere Posidonium necesse est contendamus.

Dixerit quispiam Ciceronem illum locum a nobis fortasse non ex Posidonio sumpsisse, sed ex Academico quodam fonte haustum libro suo adiunxisse. Sunt enim, qui Ciceronem praeter Posidonium alios quoque auctores adhibuisse contendant[6]). Tamen haec iniuria mihi obieceris. Posidonium enim esse auctorem Ciceronis vel inde apparet, quod illo loco (de nat. deor. II 20, 52) tempora siderum secundum philosophum Rhodium afferuntur et Mercurius et Venus planetae satellites solis habentur[7]). Cum vero a Cicerone Posidonium esse adhibitum constet, illius quoque Apulei loci fundamentum a Posidonio esse repetendum apparet.

---

[5]) Schwenke, Quellen v. Cicero de nat. deor. Fleckeis., Jahrb. 119 (1879) 129 sqq. — Wendland, Posidonius' Werk *περὶ θεῶν*, Arch. f. Gesch. d. Phil. I (1888) 206. — Diels, Elementum, Leipzig 1899, 2.

[6]) Reinhardt, D. Quellen v. Cic. Schrift nat. deor., Bresl. phil. Abh. III 2. H. (1888) 33 sqq. — Hirzel, Unters. z. Cic. phil. Schriften I, Leipzig 1877, 224.

[7]) cf. Schmekel, Mittl. Stoa, pag. 282; Wendland, Philo über die Vorsehung, pag. 68 A. 4. Quo loco e Posidonii sententia Venus et Mercurius planetae sint collocandi in siderum ordine, nondum accurate iudicare possumus. Nam secundum hunc Ciceronis locum Venus proxima est terrae; secundum Cleomedem autem, qui ipse quoque Posidonium sequitur, Mercurius. Omnino sectatores Posidonii, quamquam omnes — dissentientes a Platone — solem in medio siderum loco collocant, de Venere et Mercurio disponendis dubitant. Venerem terrae propinquam inveni locis his: *περὶ κόσμου* c. 2 (pag. 392 a 28 Bekk.); Philo quis

Haec nostra coniectura aliunde comprobatur. Si duo scriptores eundem auctorem sequuntur, utrumque non omnibus locis eadem eligere consentaneum est. Quamquam autem Cicero plurima eorum, quae ex Posidonio excerpsit, ampliora reddidit, tamen nonnullis locis Apuleius plura affert Cicerone. Atque si recte coniecimus, ea quoque Posidonii esse oportet. Quod duobus locis me demonstrare posse puto. Primum id deliberemus, quod Apuleius scripsit de luna (pag. 6, 14 sqq.). Lunae lucem eo clariorem reddi, quo longius a sole absit, legimus — idem, quod apud Ciceronem inveneramus. Tum duas de lunae luce sententias allatas videmus: ex alia, quae Chaldaeorum esse dicitur, luna est globus dimidia ex parte obscurus, dimidia luminis compos; alia ex sententia luna peculari luce carens solis lucem quasi speculum reicit.

Simillimam de luna expositionem reperimus in nono Vitruvii libro, quem ex Posidonio pendere Capelle docuit (cf. p. 15 A. 13). In Vitruvii architectura legimus haec (IX 224): *Berosus, qui ab Chaldaeorum civitate sive natione progressus in Asia etiam disciplinam Chaldaicam patefecit, ita est professus pilam esse* (scil. lunam) *ex dimidia parte candentem, reliqua habere caeruleo colore. Ubi autem Aristarchus Samius mathematicus vigore magno . . reliquit, exponam: non enim latet lunam non suum propriumque habere lumen, sed esse uti speculum et ab solis impetu recipere splendorem.* Apud Vitruvium igitur eadem legimus atque apud Apuleium: primo agit de Chaldaeorum sententia, tum affert disciplinam, quam Aristarcho attribuit: lunam esse quasi speculum, quod solis lumen reiciat. Cum vero apud Vitruvium Posidonii verba legamus, ex eo cognoscimus Posidonium eodem atque Apuleius modo de luna egisse. Ea igitur, quae Apuleius illo loco affert plura Cicerone, a Posidonio non modo non aliena sunt, sed etiam quam maxime cum eo congruunt.

Similiter res se habet alio loco. Solem et lunam deos esse Apuleius ex consensu gentium comprobaverat. *Tamen neque*

---

rer. div. heres 224 (504 M); plerique Posidonii sectatorum Mercurium terrae finitimum esse putant: Cic. Somn. Scip. 4, 17; Seneca nat. quaest. VII 12: Vitruvius IX 220 (Vitruvium ex Posidonio haurire comprobavit Capelle, N. Jahrb. XV [1905] 538, 1); Cleomed. c. III (pag. 32, 7 Ziegler); Geminos c. I § 29 (pag. 12, 23 ed. Mau); verisimile est nos apud Phil. de Cherub. 22 (pag. 142 M) eandem legere sententiam.

de luna neque de sole quisquam Graecus aut barbarus facile cunctaverit deos esse legimus (pag. 7, 9 sq.). Hoc argumentum esse Stoicum supra demonstravimus (cf. supra pag. 12); Posidonium autem hac ipsa documenti forma usum esse, quam legimus apud Apuleium (*neque Graecus neque barbarus*) ex Sexto Empirico adv. phys. I 61 discimus, quem hoc loco sequi Posidonium constat[8]): . . . *ἀλλ' ὑπὸ μὲν τῆς κοινῆς ἐννοίας λέγοντες* (scil. *οἱ Στωικοί*) *ὡς ἅπαντες ἄνθρωποι σχεδὸν Ἕλληνές τε καὶ βάρβαροι νομίζουσιν εἶναι τὸ θεῖον.* Quocumque igitur conspeximus, Posidonianae doctrinae invenimus vestigia.

§ 2: Apuleius quomodo daemones esse necessarios ex mundi natura comprobet.

Supra audivimus daemones necessarios esse ab auctore duobus modis comprobari: sine daemonibus neque dis cum hominibus esset conexus neque mundus esset perfectus, cum aer animalibus careret (pag. 15, 8 sqq. Thom.). Cum vero in omnibus elementis animalia versentur, in terra, in aqua, in igni terreno — ubi secundum Aristotelem pecularia animalia sunt —, in igni aetherio — ubi sidera morantur —, ne aerem quidem incolis carere censendum est: neque enim aves aeris incolae haberi possunt (pag. 16, 7 sqq.). Hoc documentum ex Stoicis pendere iam Heinze demonstravit[9]). Tamen in Apuleio mutavit sententiam: id quod antea ipse Stoicis attribuerat, Apuleium hoc loco ex Academicis sumpsisse censet[10]). Cum igitur Heinze ea in re tantopere sibi non constet, virum doctissimum a se ipso defendens Apuleium hoc loco sequi Stoicos — Posidonium, quem huius documenti auctorem Heinze recte coniecit —, alia ex parte comprobabo.

Idem documentum, quod apud Apuleium, tribus locis legimus apud Philonem Alexandrinum: de gigant. 6 sqq. ed. Wendl. (pag. 263 M.); de plantat. 12 sqq. Wendl. (pag. 331 M.); de somn. I 135 sqq. Wendl. (pag. 641 sq. M.). Hi Philonis loci inter se satis accurate congruunt; cum alia, tum id iis est commune, quod omnibus locis, postquam daemones esse necessarios aeris

[8]) cf. Schmekel, Philos. d. mittl. Stoa 95, 98.

[9]) Xenocr. pag. 97.

[10]) Xenocr. pag. 117.

incolas demonstratum est, diversa daemonum genera enumerantur (de gig. 12 sqq. Wendl. 264 M.; de plant. 14 sq. Wendl. 331 sq. M.; de somn. I 138 sqq. Wendl. 641 sq. M.). Philonem iis locis non suo uti ingenio sed alium sequi auctorem pro certo est habendum: Philo ipse profitetur. Nam de gigant. 6 et somn. I 141 *ἄλλους φιλοσόφους* auctores affert, quos esse Graecos viros doctos ex alio loco (de plant. 14 *οἱ παρ' Ἕλλησιν φιλοσοφήσαντες*) cognoscimus. Graecum igitur philosophum sequitur Philo.

Conemur ex iis, quae exponit, quem adhibuerit eruere. Quem ad finem conspiciamus ea, quae invenimus apud Philonem de somn. I 134 sqq. Wendl. (pag. 641 sq. M.). Ubi lunam esse finem aerii spatii audimus: hanc sententiam esse Posidonii ex libro *περὶ κόσμου* scimus (c. 2, pag. 392a Bekk.)[11]). Tum audimus partem animarum corporibus liberarum postea rursus in corpore redire (§ 139 Wendl., pag. 642 M.): idem apud Plutarchum invenimus (de gen. Socr. 591 C) in Timarchi narratione, quam ex Posidonio pendere constat; ubi plerasque animarum *πάλιν ἐπ' ἄλλην γένεσιν* in terram venire legimus[12]). Corpus humanum a Philone cum carcere comparatur, ex quo animae fugere student (§ 139: *αἱ δὲ πολλὴν φλυαρίαν αὐτοῦ καταγνοῦσαι δεσμωτήριον μὲν καὶ τύμβον ἐκάλεσαν τὸ σῶμα, φυγοῦσαι δ' ὥσπερ ἐξ εἱρκτῆς ἢ μνήματος ἄνω κούφοις πτεροῖς ἐξαρθεῖσαι* etc.); simillimum in modum corpus vocatur a Cicerone in Somnio Scipionis quod vocatur (3, 14): *immo vero hi vivunt, qui corporum vinculis tamquam e carcere evolaverunt . . . .* § 140 daemones appellantur *ὕπαρχοι τοῦ πανηγεμόνος, ὥσπερ μεγάλου βασιλέως ἀκοαὶ καὶ ὄψεις, ἐφορῶσαι πάντα καὶ ἀκούουσαι.* Id nobis memoriam revocat libri de mundo, ubi deus eodem modo cum rege Persarum comparatur (pag. 398 A 6 sqq. Bekker)[13]). § 144 commemorantur *ἀναθυμιάσεις* terrae, quam vocem a Stoicis pendere scimus; praeterea, id quod magni momenti est, lunam ex aere et aethere esse commixtam esse § 144 audimus, quae Posidonii est sententia[14]). Minime igitur dubium est, quin is

---

[11]) cf. praeterea Plut. de gen. Socr. 592 C; de fac. in orb. lunae 943 C.

[12]) cf. ad hanc Posidonii sententiam Cicero Tuscul. I 42 sq.; Vergil Aeneis VI 747: *pauci laeta arva tenemus*; Norden, Comm. z. Aen. VI, pag. 20 sq.; Heinze, l. c. 134.

[13]) cf. supra pag. 16 sq.

[14]) Plut. de def. orac. 921 F; Diog. Laert. VII 145; cf. ad haec omnia M. Apelt, „De rationibus quibusdam“ etc., Diss. Jenenses 1907, pag. 103.

auctor, quem illis locis se sequi Philo profitetur, sit Posidonius. Quae cum ita sint, Posidonio illud quoque de daemonibus argumentum necesse est attribuamus: aliunde igitur profecti eodem pervenimus quo Heinze.

Sed nunc in re proposita pergamus. Supra Apuleium de daemonum necessitate locutum e Posidonio pendere contenderamus. Proinde comparemus Apuleium cum Philone, apud quem nos Posidonii legere verba cognovimus[15]).

Apul. pag. 15, 8 sqq. Thomas.	Philo de gigant. 6 sqq. (263 M.).
mediorum divorum ista sortitio est, qui in aeris plagis terrae conterminis nec minus confinibus caelo perinde versantur, ut in quaque parte naturae propria animalia, in aethere volventia, in terra gradientia. Nam cum quattuor sint elementa notissima, veluti quadrifariam natura magnis partibus disterminata, sintque propria animalia terrarum, aquarum, flammarum — siquidem Aristoteles auctor est in fornacibus flagrantibus quaedam parvula animalia pennulis apta volitare totumque aevum suum in igni deversari, cum eo exoriri cumque eo extingui — praeterea cum totiuga sidera sursum in aethere, id est in ipso liquidissimo ignis ardore, compareant, cur hoc solum quartum elementum aeris, quod tanto spatio intersitum est, cassum ab omnibus, desertum a cultori-	*δαίμονες . . . ψυχαί εἰσιν κατὰ τὸν ἀέρα πετόμεναι· καὶ μηδεὶς ὑπολάβοι μῦθον εἶναι τὸ εἰρημένον· ἀνάγκη γὰρ ὅλον δι' ὅλων τὸν κόσμον ἐμψυχοῦσθαι,*
	τῶν πρώτων καὶ στοιχειωδῶν μερῶν ἑκάστου τὰ οἰκεῖα καὶ πρόσφορα ζῷα περιέχοντος, γῆς μὲν τὰ χερσαῖα, θαλάττης δὲ καὶ ποταμῶν τὰ ἔνυδρα, πυρὸς δὲ τὰ πυρίγονα — λόγος δὲ ἔχει ταῦτα κατὰ Μακεδονίαν μάλιστα γίνεσθαι — οὐρανοῦ δὲ τοὺς ἀστέρας, ἔστιν οὖν ἀναγκαῖον καὶ τὸν ἀέρα ζῴων πεπληρῶσθαι...
	§ 11: *ἆρ' οὖν εἰκὸς δι' οὗ τὰ ἄλλα, ἔνυδρα καὶ χερσαῖα, ἐψύχωται, ἔρημον εἶναι ἢ ψυχῶν ἀμοιρεῖν;*

[15]) Confero cum Apuleio eum Philonis locum, qui legitur de gigant. 6 sqq. (pag. 263 M.), ideo quod Philo ibi illud Posidonii de daemonibus documentum accuratissime tradidit.

bus suis natura pateretur, quin in eo quoque aerea animalia gigneret, ut in igni flammida, in unda fluxa, in terra glebulenta?

flammida: cf. supra *πυρίγονα*
fluxa: cf. supra *ἔννυδρα*
glebulenta: cf. supra *χερσαῖα*.

Invenimus igitur apud utrumque eundem sententiarum ordinem; elementa eodem modo enumerantur (terra, aqua, ignis, aether); uterque in fine argumenti interrogationem collocat. Praeterea apud Philonem item atque apud Apuleium animalia in igni versantia videmus commemorata: quae a nemine ceterorum, qui eo documento utuntur, afferuntur. Maxime autem admiratione dignum id mihi videtur, quod auctores ad illa animalia commemorata adiecerunt. Apuleius enim hac de bestiis igneis doctrina se Aristotelem sequi simulat, apud quem re vera id invenimus[16]); Philo autem ea animalia in Macedonia vivere narrat[17]). Quod unde compertum esse Philoni putabimus? Invenitne apud Posidonium ignea animalia in Macedonia exstare? Posidonium suam de iis bestiis sententiam accepisse ex Aristotele, cui est attribuenda, apparet: quid autem apud Aristotelem legimus? Ignea animalia non in Macedonia, sed in Cypro insula vivere. Unde igitur Macedoniam habet Philo? Res varios in modos explicari potest; verisimillimum mihi videtur conicere ita: Philo apud auctorem quem sequitur, Posidonium (vel discipulum quendam Posidonii), scriptum videbat secundum Aristotelem esse parvas bestiolas, quae in igni viverent; ubi eae exstarent, apud Posidonium commemoratum non legebat. Cum vero Philo auctores Graecos nominatim afferre vereatur, pro nomine Aristotelis patriam Aristotelis inseruit, ubi talia animalia, cum Aristoteles commemoravisset, vivere non inepte coniecit, et eas bestiolas in Macedonia vivere scripsit.

Quodsi coniectura mea probatur[18]), Philo in auctoris libro Aristotelem invenit commemoratum auctorem illius de bestiolis igneis sententiae terra non nominata. Atque conspiciamus Apu-

[16]) Arist. hist. animal. V 19 (pag. 552 b 10 Bekker): *ἐν δὲ Κύπρῳ, οὗ ἡ χαλκῖτις λίθος καίεται, ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἐμβαλλόντων, ἐνταῦθα γίγνεται θηρία ἐν τῷ πυρί, τῶν μεγάλων μυιῶν μικρόν τι μείζονα, ὑπόπτερα, ἃ διὰ τοῦ πυρὸς πηδᾷ καὶ βαδίζει.*

[17]) De gigant. 7, pag. 263 M.; de plantat. 12, pag. 331 M.

[18]) Hermannus Diels, quem hac de re consului, se sententiam meam probare per litteras mihi benigne communicavit.

leium; ibi idem legimus, quod in Philone coniecimus. Aristotelem docere ignea animalia in fornacibus versari; terra, ubi illa reperiantur, non nominatur. Coniectura igitur nostra, quam fecimus in Philone, per Apuleium confirmatur; praeterea autem novam inter auctores congruentiam statuere possumus, quam gravissimam esse nemo negabit. Intelleximus igitur Heinzium merito id, quod deliberavimus, de daemonibus documentum Posidonio attribuisse; cum vero idem argumentum mirum in modum cum Philone congruens apud Apuleium legamus, Apulei quoque locum pendere ex Posidonio necesse est contendamus.

§ 3: De tribus daemonum generibus.

Iisdem Philonis locis, quibus modo Apulei auctorem invenimus, iterum adiuvabimur. Supra commemoravimus apud Philonem tribus, quos diximus, locis post illud de daemonibus documentum enumerari tres diversas daemonum species. Simillimam autem enumerationem apud Apuleium legimus[19]), quod pag. 23, 2 sqq. de variis loquitur daemonum generibus. Deliberemus ea, quae Apuleius affert, iis rebus, quas Apuleius ipse adiunxit, secretis[20]). Tres sunt, inquit Apuleius, daemonum species. Primum enim animus adhuc in corpore versatus „daemon“ vocatur. Animus quodammodo una cum corpore gignitur, quamquam est immortalis: auctor igitur censet animas aeternas eodem tempore, cum homines nascuntur, coniungi cum corporibus. Itaque iure *copulatio* sumus corporis et animi (pag. 23, 19 Thom.). Altera daemonum species eae sunt animae, quae *emeritis stipendiis vitae* corpore excesserunt. Inter eos sunt mali, qui bonis hominibus *inane terriculamentum*, malis autem perniciei sunt. Nonnulli etiam *iuste ac prudenter curriculo vitae gubernato* deorum dignitatem adepti sunt, velut Amphiaraus in Boeotia, in Africa Mopsus, in Aegypto Osiris, ubique Aesculapius (pag. 24, 16 Th.). Praeter eos daemones tertium est augustius genus, quod nunquam in corpore humano fuit: ex eorum numero singulis hominibus in vita agenda custodes adduntur (pag. 25, 5 Th.).

---

[19]) cf. supra pag. 22.

[20]) Secernendum est vocis *genii* etymologia (pag. 23, 13 sqq.) et is locus, quo Larvas, Lemures etc. fonti suo inserere conatur (pag. 24); cf. supra pag. 12.

Hactenus de Apulei verbis; nunc ad Philonem eamus. Apud eum iisdem locis, de quibus modo egimus, tres daemonum species enumeratas videmus, quae cum Apuleianis accuratissime congruunt. Conferamus cum Apuleio latissimum Philonis locum.

Apul. pag. 23 sqq. Th.

quodam significatu et animus humanus etiam nunc in corpore situs „daemon“ nuncupatur . . . . secundo significatu species daemonum animus humanus emeritis stipendiis vitae corpori suo abiurans . . . . . quippe tantum eos deos appellant, qui ex eodem numero iuste ac prudenter curriculo vitae gubernato pro numine postea . . . vulgo advertuntur. Verum haec omnis distributio eorum daemonum fuit, qui quondam in corpore humano fuere. Sunt autem [*non*][21]) *posteriore numero, praestantiore longe dignitate, superius*[22]) *aliud, augustius genus daemonum, qui semper a corporis compedibus liberi certis potestatibus curant . . . . ex hac igitur sublimiore daemonum copia Plato autumat singulis hominibus in vita agenda testes et custodes additos . . .*

Philo de somn. I 138 sqq.

τούτων ιῶν ψυχῶν αἱ μὲν κατίασιν ἐνδεθησόμεναι σώμασι θνητοῖς, ὅσαι προσγειόταιοι καὶ φιλοσώματοι, αἱ δὲ ἀνέρχονται, διακριθεῖσαι πάλιν κατὰ τοὺς ὑπὸ φύσεως ὁρισθέντας ἀριθμοὺς καὶ χρόνους· τούτων αἱ μὲν τὰ σύντροφα καὶ συνήθη τοῦ θνητοῦ βίου ποθοῦσαι πάλιν δρομοῦσιν αὖθις, αἱ δὲ πολλὴν φλυαρίαν αὐτοῦ καταγνοῦσαι δεσμωτήριον μὲν καὶ τύμβον ἐκάλεσαν τὸ σῶμα, φυγοῦσαι δ'ὥσπερ ἐξ εἱρκτῆς . . . ἄνω κούφοις πτεροῖς πρὸς αἰθέρα ἐξαρθεῖσαι μετεωροπολοῦσι τὸν αἰῶνα· ἄλλαι δ'εἰσὶ καθαρώταται καὶ ἄρισται, μειζόνων φρονημάτων καὶ θειοτέρων ἐπιλαχοῦσαι, μηδενὸς μὲν τῶν περιγείων ποτὲ ὀρεχθεῖσαι τὸ παράπαν, ὕπαρχον δὲ τοῦ πανηγεμόνος . . . . ἐφορῶσαι πάντα καὶ ἀκούουσαι . . . τὰς τοῦ πατρὸς ἐπικελεύσεις τοῖς ἐγγόνοις καὶ τὰς τῶν ἐγγόνων χρείας τῷ πατρὶ διαγγέλλουσιν.

---

[21]) Vocem *non* esse delendam E. Norden docuit Herm. XXIX (1894) pag. 290 sqq.; cf. Lyd. de mag. III c. 26, pag. 113, 17 Wünsch, ubi Christodori locus affertur: [*Ἀγάπιος*] *πύματος μέν, ἀτὰρ πρώτιστος ἁπάντων.*

[22]) Pro *superius* probabiliter coniecit *super his* Wilamowitz.

Nemo est, quin videat nos apud Philonem eadem legere atque apud Apuleium. Animae sunt aeternae, i. e. iam ante hominem natum exstant. Primum daemonum genus in corpora humana descendit et animi muneribus fungitur (*ψυχαὶ = δαίμονες*, cf. de somn. I 141, pag. 642 M). Huic generi apud Apuleium respondet *animus humanus etiam nunc in corpore situs.* Altera daemonum species ii sunt, qui corpore morte liberati sursum petunt; cum iis apud Apuleium est comparandus *animus humanus emeritis stipendiis vitae corpori suo abiurans.* Hanc speciem apud Philonem in duo genera videmus disiunctam: illorum ex numero alios iterum in corpora humana descendere, alios in aeternum res humanas aspernari Philo docet. Quam distributionem apud Apuleium desideramus; Apuleius eo loco daemones Romanorum, Manes, Lemures, Larvas inserere conatur, quos eum apud auctorem suum Graecum non invenisse consentaneum est: ea igitur, quae ex fonte hauserat, hoc loco mutavit.

Sed hic aliud quoddam, quod Apuleius commemorat, apud Philonem frustra quaerimus: Apuleius dicit nonnullos daemones deorum dignitatem adipisci, id quod apud Philonem desideramus. Nihil autem facilius explicari potest. Philo ut homo Iudaeus potuitne concedere animas humanas ad deorum dignitatem pervenire? Nullo modo potuit. Quamvis doctrinam philosophorum Graecorum sequatur, nunquam praeter unum Iudaeorum deum exstare alios concederet[23]). Itaque si apud auctorem suum talia, quae apud Apuleium legimus, invenit, nullo modo in libellum suum recipere potuit. Ab Apuleio igitur hoc loco alium auctorem esse adhibitum atque a Philone iure nemo contendat.

Pergamus comparare. Tertia daemonum species optima est et suprema (*καθαρώταται καὶ ἄριστα* Philo, *superius aliud, augustius genus* Apul.) Ii daemones, cum res humanas non cupiant, nunquam in hominum corporibus versati sunt. Scriptores hoc quoque loco plane congruunt: non solum exstare tale daemonum genus dicunt, sed etiam deos illis uti custodibus hominum uterque docet. Quae cum ita sint, vix dubitaveris, quin ea, quae afferuntur ab Apuleio et Philone, ab eodem auctore sint repetenda; cum vero Philonis auctorem esse Posidonium in § 2 huius capitis cognoverimus,

---

[23]) cf. infra pag. 40.

Apuleium ipsum quoque hac in re pendere ex Posidonio necesse est contendamus.

Vidimus Apuleium uno loco a Philone dissentire: Apuleius enim docet daemones nonnunquam ad deorum honores ascendere, id quod Philo non commemorat. Atque quamquam intellexeramus, cur Philonem hanc sententiam neglexisse verisimile esset, tamen quaerendum est, num Posidonio id placuerit. Idem autem placitum legimus apud Plutarchum, qui scripsit in libro de defectu oraculorum composito (415 C): *ἐκ δὲ δαιμόνων ὀλίγαι* (sc. *ψυχαί*) *μὲν ἐν χρόνῳ πολλῷ δι' ἀρετῆς καθαρθεῖσαι πανιάπασι θειότητος μετέσχον.* Cui Plutarchi auctori haec sententia est attribuenda? Legimus illo loco paucos animos ad summos honores pervenire, ceteros autem in corpora humana redire, quam de animarum migratione sententiam esse Posidonii Heinze comprobavit[24]); illud autem *ὀλίγαι* nobis memoriam revocat Vergilii sexti Aeneidos libri, quem ex Posidonio pendere est verisimillimum[25]). Apud Vergilium legimus (VI 747): *pauci laeta arva tenemus.* Posidonium autem id quoque sapit, quod vita animarum corpore humano inclusarum *ἀναθυμίασις* vocatur, quae vox procul dubio illi Stoico debetur. Vix igitur errabimus, si illum Plutarchi locum, quo nonnullos daemones in deorum honores pervenire audimus, Posidonio attribuemus. Posidonium autem re vera id docuisse, quod Apuleius et Plutarchus proferunt, Cicero comprobat. Legimus enim in Ciceronis priore de divinatione libro, quo Posidonium sequitur (cp. 40, 88): *Amphiaraum autem sic honoravit fama Graeciae, deus ut haberetur.* Hic igitur de eodem homine idem atque apud Apuleium audimus: Amphiaraus post mortem deorum honores assecutus est. Et praeter Amphiaraum alium hominem ex iis, quos Apuleius affert, apud Ciceronem reperimus, Mopsum. Recte igitur iudicavimus de hoc loco Apuleiano: non solum ea Posidonio debentur, quae cum Philone congruunt, sed etiam ea, quae Philo neglexerat, pendent a Posidonio.

---

[24]) Heinze l. c. 132 sqq.; cf. Plut de gen. Socr. 591 D (ex Timarchi narratione); de fac. lun. 943 D.

[25]) cf. Norden, Comm. in Aen. VI, Lpz. 03.

IV.

De Apulei auctore.

Quoniam ubique in Apulei libello exstare vestigia Stoica supra secundo capite docuimus et tres locos invenimus, quos ex certo quodam auctore, Posidonio Stoico, pendere intelleximus, nunc interrogemus, quem Apuleius in scribendo secutus sit. Cum in primo, medio, extremo libello Posidonii legamus sententias, fortasse dixerit quispiam, Apuleium ad librum componendum ipsum Posidonium in usum suum convertisse. Nihil referre, inquiet, nos praeter illa Stoica in Apulei libello nonnulla Academica repperisse: inter omnes constare Posidonium, Stoicum philosophum, doctrinae suae permulta Academica accommodavisse et Platonem ipsum ut divinum philosophum plurimi aestimavisse. Ut perspiciamus, num Posidonium ipsum adhibitum esse ab Apuleio sit censendum, de iis quaeramus, quae profert Apuleius de dis et de divinatione.

Apuleius cap. III (pag. 9 Thom.) agit de natura deorum: deos in aethere, i. e. in caelo versari dicit; ab hominum contagione longe abesse. Cum his ea sunt coniungenda, quae legimus in cap. IV (pag. 11 Thom.). Deos ab hominibus longe disiunctos esse neque ulla re cum hominibus misceri. Haec sententia quin cum doctrina Stoica pugnet vix quisquam dubitet. Secundum Stoicos enim deus est anima mundi, qui non solum in caelo, sed omnibus locis versatur et omnia pervadit; quin etiam deus idem est atque mundus. Stoici igitur deum non disiungunt a mundo, sed omni pacto coniungunt. Quamquam verum est Stoicorum de his rebus sententias non semper sibi constare. Interdum enim apud eos legimus eas sententias, quae magis cum Academicis quam cum Stoicorum disciplina congruere videntur[1]). Itaque non iniuria conieceris Posidonium, qui quantopere Academicos secutus sit constat, hac in re magis quam ceteros Stoicos Platonicis appropinquavisse. Proinde conemur ex iis

[1]) cf. Bonhöffer, Ethik d. Epictet, pag. 243 sqq.

qui Posidonium in usum suum verterunt, scriptoribus cognoscere quo modo res se habeat.

Incipiamus ab eo, qui Posidonium ipsum bene noverat et familiariter eo utebatur, a Cicerone. Ex iis Ciceronis libris, quibus Posidonium imitatur, ad nostram rem maxime pertinet liber de natura deorum secundus, quem pendere ex Posidonii libro *περὶ θεῶν* scripto constat. Iam vero in eius libri cap. 11, 30 legimus in omnibus partibus mundi inesse sensum atque rationem; itaque sapientem esse mundum necesse esse: mundum igitur esse deum. — Haec Ciceronis doctrina nullo pacto cum ceteris Stoicis pugnat: Posidonius mundum esse divinum contendit neque, quae est Apulei sententia, deum a mundo disiungit: Rhodius igitur philosophus in illo quidem libro *περὶ θεῶν* scripto a disciplina Stoica non discessit.

Sed consideremus alium Ciceronis libellum, quo eum non minus imitari Posidonium constat, Somnium Scipionis quod vocatur. Ubi Posidonius de deo paulo aliter iudicare videtur. Deus enim cum animo humano comparatur: *ut mundum ex quadam parte mortalem ipse deus aeternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet* (c. 8, 26). Hic deus procul dubio non idem est atque mundus, sed deus aeternus mundo *ex quadam parte mortali* opponitur: deus non mundus ipse, sed *ἡγεμονικόν* mundi est, quod mundum regit eodem modo atque animus corpus humanum. Quodsi ex iis Ciceronis locis, de quibus egimus, colligere nobis licet, quidnam Posidonius de deo docuerit, dicendum est, duas sententias apud philosophum Rhodium inter se misceri. Deus ex Posidonii sententia modo mundus ipse modo principatus mundi est. Sed fortasse non credideris, Posidonium re vera ita sibi non constitisse. Itaque mecum sententias ceterorum Posidonii sectatorum consideres.

Atque primum deliberemus Philonis Alexandrini doctrinam. Apud quem res est difficillima; Philo enim ut homo Iudaeus, cum quid sit deus ex sacris Iudaeorum libris se scire putet, non discere in animo habet ex iis, quae docent Graeci, sed doctrinam Iudaicam esse veram placitis philosophorum comprobare studet. Itaque ea, quae ei placent, ex philosophia Graeca eligit; nonnulla recipit, nonnulla graviter mutata in usum suum vertit. Maxime ei decreta Stoicorum placebant, ex quibus philosophis eum sequitur, qui illis temporibus erat clarissimus, Posi-

donium. Cuius ex placitis id nullo fere modo mutatum recepit, quod Rhodius docuit de daemonibus: solum id, quod inveniebat apud auctorem suum, delevit, nonnunquam daemones ad deorum dignitatem pervenire[2]). Posidonii enim de geniis doctrina optime ad certum quendam finem uti potuit: illis adhibitis id verum esse comprobare conatus est, quod sacra Hebraeorum scripta de angelis, dei nuntiis, docebant. Placita igitur Posidonii recepit, quae eum suas mutare sententias non cogerent: quomodo autem res se habet de deo?

Iudaeorum de deo opiniones non omnibus temporibus sibi constiterunt: antiqui alium deum credebant atque illis Philonis temporibus[3]). Philonis aequales deum non credebant hominibus esse similem; deum esse רוּחַ i. e. animum putabant, qua re cum Stoicorum *πνεῦμα* optime congruunt. Unum autem cum Stoicorum placitis pugnat: Iudaei non minus quam Christiani deum esse certam personam credunt, id quod Stoici iis nunquam concessissent, qui deum impersonalem crederent. Quibus cum sententiis cohaeret, quod Iudaei deum in caelo, i. e. extra mundum versari credunt, cum Stoici deum intramundanum esse censent.

Deliberemus Philonis de deo opinionem. Saepissime Philo deum opponit mundo: deus est perfectione, aeternitate, constantia praeditus, mundus autem vitiosus et mutationibus obnoxius[4]). Haec igitur communis Iudaeorum opinio est: deus non idem est atque mundus, sed animus omnium perfectissimus, qui extra mundum versatur et mundo opponitur. Legimus apud Philonem (leg. alleg. II 2): *ὁ δὲ θεὸς οὐ σύγκριμα οὐδὲ ἐκ πολλῶν συνεστώς, ἀλλ' ἁμιγὴς ἄλλῳ.* Hoc loco certat homo Iudaeus contra Stoicos, qui deum et mundum misceant. Deus non cum mundo est coniungendus, sed *θεὸς πρεσβύτερος κόσμου καὶ δημιουργός* (leg. alleg. II 3). Permultis autem aliis locis aliam de deo sententiam invenimus. *πάντα πεπλήρωκεν ὁ θεός* legimus leg. alleg. III 4, *καὶ διὰ πάντων διελήλυθεν καὶ οὐδὲν κενὸν οὐδὲ ἔρημον ἀπολέλοιπεν ἑαυτοῦ.* Nonne haec est Stoicorum doctrina, qui deum omnia complere et pervadere doceant? Audiamus, quod scripsit Philo de poster.

---

[2]) cf. supra pag. 36.

[3]) cf. B. Stade, Bibl. Theolog. des A. T., Tübingen 1905, pag. 79 sq.

[4]) cf. M. Apelt, De rationibus quibusdam etc., Comm. Ienens. VIII 1, pag. 96.

Caini 2 sqq.: *θεοῦ δὲ οἶκος αἰσθητὸς τίς ἂν εἴη πλὴν ὅδε ὁ κόσμος, ὃν καταλείπειν ἀμήχανόν τε καὶ ἀδύνατον . . . θεοῦ μηδὲν κενὸν μηδὲ ἔρημον ἑαυτοῦ καταλελοιπότος, ἀλλὰ πάντα διὰ πάντων ἐκπεπληρωκότος.* Hic locus rursus Stoicum sapit: deus a mundo non separatur, sed quam maxime cum eo coniungitur. Duas igitur de deo opiniones apud Philonem invenimus, quae re vera secum pugnant, a Philone autem coniunguntur. Legamus, quod exstat de poster. Caini 14 sqq.: *ἐπιβεβηκὼς δὲ καὶ ἔξω τοῦ δημιουργηθέντος ὢν οὐδὲν ἧττον πεπλήρωκεν τὸν κόσμον.* Hoc igitur Philo docet: deus, quamquam extramundanus est et in caelo versatur, tamen totum mundum implet.

Sed Philonem has sententias iam apud Posidonium, quem tot rebus sequitur, permixtas invenisse putemus? Posidonium docuisse deum versari in caelo, unde totum mundum pervadere? Rem ita se habere posse non negabimus: Posidonius, si ita esset, Academicorum de deo placita cum Stoicorum coniungere conatus esset[5]): tamen ex Philone id demonstrare non possumus, cum suspicio non absit a Philone doctrinam Stoicorum — deum esse intramundanum et mundum ipsum — quam apud Posidonium reperiebat, cum Iudaeorum de deo sententiis — deum esse personam extramundanum — coniunctam esse. Itaque ex Philone neque comprobare neque refutare possumus Posidonii de dis doctrinam a ceteris Stoicis discessisse.

Nunc ad alium philosophum venimus, qui Posidonium sequitur, ad Senecam. Hic philosophus, qui omnibus in rebus Stoice se gerit, etiam de deo agens a Stoicis aberrare non videtur. Deus apud eum non solum est ratio mundi, sed mundus ipse[6]). *Totum hoc*, legimus ep. 92, 30, *quo continemur, et unum est et deus: et socii sumus eius et membra.* Hoc igitur loco deus mundo non opponitur, sed cum eo coniungitur. *Ipse* (deus) *enim est hoc quod vides totum, partibus suis inditus et se sustinens et sua* (nat. quaest. II, 45)[7]). Quae doctrina prorsus est Stoica; nihilo setius apud Senecam nonnunquam aliam legimus sententiam, quae cum illa pugnare

---

[5]) Quod Posidonius in eo ipso de deorum natura libro, quem ex Cicerone cognoscimus, eam doctrinam non protulit, mirum non esset, cum in eo ipso opere, ut philosophus Stoicus, a fundamentis disciplinae Stoicae recedere non deberet. Praeterea quomodo de sede dei egerit, ex Cicerone non intellegimus.

[6]) Zeller III 1⁴, 728.

[7]) cf. praeterea de ira II 16; de vit. beat. 8, 4.

videtur. Nam interdum deus Senecae sola est ratio mundi, non mundus ipse, cui etiam opponitur: deus, cum sit sola mens, cum materia nihil habet commune[8]). Legimus nat. quaest. I praef. 14: *quid ergo interest inter naturam dei et nostram? Nostri melior pars animus est, in illo nulla pars extra animum est. Totus est ratio.* Deus igitur non idem est atque materia: *universa ex materia et ex deo constant. . . . quem in hoc mundo locum deus obtinet, hunc in homine animus; quod est illic materia, id in nobis corpus est.* Deus igitur non mundus ipse, sed principatus et *arbiter*[9]) mundi est.

Videmus Senecam duas opiniones inter se commiscuisse: deum esse extramundanum et a mundo separandum — illam Academicorum sententiam — et deum esse intramundanum atque totum mundum complere — Stoicorum opinionem. Simul autem intellegimus Senecam idem de deo docuisse atque Philonem, apud quem easdem sententias commixtas inveneramus. Ceterum res non aliter se habet de M. Aurelio[10]) et Musonio[11]).

Restat ut alium libellum consideremus, quem Posidonium sequi constat, librum *περὶ κόσμου* scriptum. Easdem ibi invenimus sententias quas apud Philonem et Senecam, easque non in diversos locos dispersas, sed eodem loco coniunctas. Deus, ut explicat auctor, in caelo versatus non omnia ipse gerit, sed vis eius (*δύναμις* = *πνεῦμα*) totum mundum pervadit et implet (pag. 397 b). *ὁ θεὸς οὐ μὴν αὐτουργοῦ καὶ ἐπιπόνου ζῴου κάματον ὑπομένων, ἀλλὰ δυνάμει χρώμενος ἀιρύτῳ, δι' ἧς καὶ τῶν πόρρω δοκούντων εἶναι περιγίνεται.* Deus igitur vi sua omnibus locis simul adest; ipse autem in caelo sedet: *τὴν μὲν οὖν ἀνωτάτω καὶ πρώτην ἕδραν αὐτὸς ἔλαχεν, ὕπατός τε διὰ τοῦτο ὠνόμασται, καὶ κατὰ τὸν ποιητὴν ἀκροτάτῃ κορυφῇ τοῦ σύμπαντος ἐγκαθιδρυμένος οὐρανοῦ.* Id nonne idem est, quod apud Philonem legimus (de poster. Caini 14 sqq.): (*θεὸς*) *ἔξω τοῦ δημιουργηθέντος ὢν οὐδὲν ἧττον πεπλήρωκεν τὸν κόσμον ἑαυτοῦ?* Nam qua alia re ex Philonis opinione deum implere mundum putemus nisi vi sua, i. e. *πνεύματι?* Atque eodem modo Senecae diversa de deo placita inter se coniungere possumus: deus ipse in caelo versatur et ita principatus

---

[8]) cf. Bonhöffer, Ethik d. Epictet, pag. 248.
[9]) Epist. 16, 5.
[10]) Bonhöffer, l. c. pag. 246.
[11]) Bonhöffer, l. c. pag. 249.

(i. e. *ἡγεμονικόν*) mundi est; idem autem vi sua totum mundum implet itaque mundum divinum et ipsum deum facit.

Vides quo tendam: illam inter auctores congruentiam, qui diversissimis temporibus fuerunt, non fortuitam esse censeo. Sed sine dubio Posidonius, cuius premi vestigia ab illis auctoribus constat, similem de deo doctrinam in nonnullis operibus praebuerat, id quod mirum non est, quia Posidonius gravissimas inter philosophos dissensiones diluere studebat. Illae igitur diversae de deo opiniones, quam supra apud Philonem invenimus, non inde ortae sunt, quod Philo Iudaeorum de deo sententias cum Stoicorum, i. e. Posidonii, coniungere in animo habebat, id quod initio conieceramus, sed iam apud Posidonium fundamenta opinionis suae reppererat Philo. Et illa libri *περὶ κόσμου* doctrina non ita orta est, ut Peripateticus quidam id, quod Aristoteles docuerat de deo, cum Posidonio, quem in libro concipiendo secutus est, coniungere conaretur[12]), sed similem de dei natura sententiam apud Posidonium exstantem legerat auctor.

Iam redeamus ad Apuleium. Num id, quod ille profert de deo, cum ea Posidonii opinione congruit, quam invenisse nobis videmur? Necesse est negemus. Apuleius deum cum mundo ipso cohaerere negat, nam a terra magno hiatu discernitur; Posidonius autem deum quamvis in caelo versatum tamen vi sua ad extremas mundi partes pervenire credebat. Videmus igitur apud Apuleium Posidonii opinionem in partem Academicam esse mutatam: Posidonium ipsum non esse auctorem Apulei vel inde apparet.

Praeter Apulei de deo sententiam id deliberemus, quod auctor docet de divinatione. Ut cognoscamus, num ea in re sequatur Posidonium, breviter Posidonii de divinatione doctrinam consideremus. Duo esse divinandi genera Posidonius docuit, *quorum alterum artis est, alterum naturae*[13]). Huic generi sunt attribuenda somnia et eae vaticinationes, quae *per furorem* fiunt; inter artificiosam speciem sunt enumeranda extispices, monstra, fulgura, augures, astrologi, sortes[14]), denique omnia, quae per

---

[12]) Ita censent Zeller III 1^3 631 sqq. et Capelle, Schr. v. d. Welt, N. Jahrbuch XV (1905) pag. 5.

[13]) Cic. de div. I 6, 12.

[14]) Cic. ibid.

coniecturam efficiuntur[15]). Posidonius divinationi permultum ponderis addebat, quod maxime divinatione ostendi deorum providentiam credebat. Adhuc omnia, quae legimus apud Apuleium, cum Posidonio congruit. Eadem enim invenimus divinandi genera: *denuntiata et magorum varia miracula* (Apul. pag. 14, 5 Thom.) cum Posidonii artificioso genere consentit, *omnes praesagiorum species* cum Posidonii naturali. Sed docuitne Posidonius totam divinationem quamvis ex deorum voluntate per daemones effici?

Naturalem deliberemus divinationem, qua vates semper, ceteri homines in somniis fruuntur ex Posidonii sententia. Quod divinandi genus ex natura animi humani repetendum est. Animus enim, priusquam in corpus humanum descendat, ab omni aeternitate una cum ceteris immortalibus animis vixit[16]), qui in aere versantur quibusque *tamquam insignitae notae veritatis* insunt[17]). Atque si animus cum corpore coniunctus est, vis animi cupiditatibus ceterisque rebus humanis obscuratur; sin autem animus a corpore seiungitur, vis eius apparet et homo res futuras praevidet. Quod ut fiat, vatibus et divina indole praeditis saepissime contingit, ceteris autem hominibus solum dormientibus[18]). *Viget enim animus in somniis liber ab sensibus omnique inpeditione curarum iacente et mortuo paene corpore*[19]). In somniis igitur animus aut per se futura cognoscit, quoniam vel antea per ceteros animos res futuras comperit, aut illi animi futura ei praedicunt, aut deus ipse cum eo colloquitur[20]). Deum ipsum in somniis cum hominibus colloqui pugnat cum ceteris, quae explicuimus: Neque Posidonius id semper, sed raro in praeclaris hominibus fieri credidisse videtur. Apud Plutarchum enim in libello „de genio Socratis“ scripto eo loco (593 D), quem ex Posidonio pendere veri simillimum est[21]), haec legimus: *τὸ θεῖον ὀλίγοις ἐντυγχάνει δι' αὐτοῦ καὶ σπανίως, τοῖς δὲ πολλοῖς*

---

[15]) Cic. ibid. I 18, 34.

[16]) Cic. l. c. I 51, 115: Posidonius enim, ut supra (pag. 36) demonstravimus, animum iam ante hominem vixisse docuit.

[17]) Cic. l. c. I 30, 64.

[18]) Cic. l. c. I 49, 110; 113.

[19]) ibid. I 51, 115.

[20]) Cic. l. c. I 30, 64.

[21]) cf. F. Bock, Untersuchung. zu Plutarchs Schr. etc. Münch. Diss. 1910, pag. 45.

σημεῖα δίδωσιν, ἐξ ὧν ἡ λεγομένη μαντικὴ συνέσιηκε. θεοὶ μὲν γαρ οὖν ὀλίγων ἀνθρώπων κοσμοῦσι βίον, οὓς ἂν ἄκρως μακαρίους τε καὶ θείους ὡς ἀληθῶς ἀπεργάσασθαι βουληθῶσιν· αἱ δ' ἀπηλλαγμέναι γενέσεως ψυχαὶ καὶ σχολάζουσαι τὸ λοιπὸν ἀπὸ σώματος δαίμονές εἰσιν ἀνθρώπων ἐπιμελεῖς καθ' Ἡσίοδον. Posidonius igitur naturale divinationis genus, quod vatibus, somniantibus, morituris accidit, plerumque per daemones effici censebat, rarissime autem deum ipsum colloqui cum divinis hominibus. Apuleius autem hac in re a Posidonio aberrat, cum totam divinationem pendere ex daemonibus deumque nunquam ipsum colloqui cum hominibus doceat.

Iterum videmus Posidonium ipsum non esse auctorem Apulei. Restat igitur, ut Apuleius alium auctorem sequatur, qui vel ipse vel per alios Posidonium in usum suum verterat. Ille auctor quin Academicus philosophus fuerit equidem non dubito: rem ita se habere cum id probat, quod Posidonii doctrinam apud Apuleium modo Platonico esse mutatam cognovimus, tum id, quod Apuleius se praebere Platonis doctrinam contendit. Etenim si Apuleius Posidonii librum secutus illius sententias disciplinae Academicae accommodavisset, nullo modo dicere potuit se sequi Platonem; sin autem apud Academicum quendam philosophum Posidonii placita invenerat, se placita Platonis proferre suo iure contendere sibi videbatur: non aliter egit in libello „de Platone eiusque dogmate“ scripto, ubi doctrinam Platonis non illum ipsum, sed Gaium magistrum secutus exposuit.

Quis autem fuerit ille philosophus Platonicus, quem ab Apuleio esse adhibitum libello de deo Socratis scripto contendimus, frustra quaeremus: fuit fortasse Gaius, fortasse alius; nam quot viri illis temporibus scripserint de philosophia, nos quidem vix cogitare possumus.

Argumentum.

pag.

Praefatio 5

I. De tribus libelli partibus 7

II. Res libro allatae unde sint repetendae 12

III. De tribus locis Posidonianis.

§ 1: De natura deorum 23

§ 2: Apuleius quomodo daemones esse necessarios ex mundi natura comprobet 30

§ 3: De tribus daemonum generibus 34

IV. De Apulei auctore 38

VITA.

Natus sum Arthurus Rathke a. d. VI. Non. Oct. 1887 Berolini patre Alberto, matre Martha e gente Gerlach, quibus gaudeo superstitibus. Fidem confiteor evangelicam. Litterarum elementis imbutus per novem annos conveni Friderico-Werderanum Gymnasium Berolinense, cuius praeceptoribus et omnibus et imprimis Rudolpho Lange rectori gratiam debeo quam maximam. Autumno 1906 maturitatis testimonium adeptus universitatem litterarum Berolinensem adii, ubi per quinque annos studiis philologicis et theologicis me dedidi.

Docuerunt me ex philosophorum ordine vv. dd. Delitzsch, Diels, Finck †, Helm, Lasson, Lehmann-Haupt, Meister, Mewaldt, Münch, E. Norden, Pischel †, Riehl, W. Schulze, Stumpf, Vahlen, Wentzel, de Wilamowitz-Moellendorff, ex theologorum ordine Baudissin, Gunkel, Harnack, Holl, Hoennicke, Kaftan, Küchler, N. Müller, Pfleiderer †, Seeberg. Proseminarii philologici sodalis fui per quattuor, seminarii per duo semestria; ad exercitationes theologicas benigne me admisit Hoennicke.

Omnibus quos nominavi viris doctissimis gratias ago quam maximas, imprimis autem Rudolpho Helm et Eduardo Norden, qui summa comitate studiis meis semper faverunt quorumque alter ad hoc opusculum scribendum me incitavit, alter consilio atque opera semper adiuvit.

Examen rigorosum sustinui pridie Non. Jul.

Lithomount
Pamphlet
Binder
Gaylord Bros.
Makers
Syracuse, N. Y.
PAT. JAN 21. 1908

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 077509286